no, & unde argumentor, pœnitentiam chriſtianam late ſumptam, duplex eſſe ſacrificium, quod Deus exigit a nobis. *Sacrificium ſpiritus*, & *ſacrificium corporis*; ſacrificium ſpiritus per contritionis humilitatem, & ſacrificium corporis per externam ipſam ſatisfactionis auctoritatem. Sacrificium ſpiritus, ſine quo, quemadmodum Gentium magiſter docet, nil prodeſt corporis ſacrificium; & ſacrificium corporis, ſine quo ſpiritus ſacrificium plerumque eſt illuſio, & phantaſma coram Deo. Itaque utriuſque hujus ſacrificii conjunctio eſt omnino neceſſaria, ut perfectum fiat holocauſtum de quo loquor, & a quo integra pendet hominis peccatoris reconciliatio cum Deo. *Id.*

Quo zelo priſci Chriſtiani puniebant in ſe minora peccata.

Quid admirabilius ſanctis illis indignationibus, quibus primi Fideles ſibimet iraſcebantur? quæ ſalutaria ſuſpiria inceſſanter effundebant in cœlum; Quibus curis intrinſecus urebantur in corde, cum ob ſcelus aliquod ſauciatam gerebant conſcientiam? Quibus doloribus conficiebantur criminis unius recordatione? Nihil illis ſolatio eſſe poterat, niſi mortificatio; neque ullam invenire poterant pœnam, quæ ſceleribus ſuis par eſſe poſſet. Dies noctesque in ferventi oratione traductæ nequaquam ſatis eſſe poſſe videbantur ad illa delenda. Pro nihilo habebant arctiſſima jejunia, quæ cum ſumma ſeveritate obſervabant, tantum cibi ſumentes quantum ſatis eſſet ad vitam alendam, quam ideo tueri volebant, ut diutius producere poſſent pœnitentiam. Quod ſi poſtquam in cinere & cilicio ante Eccleſiæ fores ſteterant plures annos perenni gemitu peccati lacrymis jam diluti veniam deprecantes, contingebat, ut hæc ipſis venia concederetur, eam ſpectabant tamquam gratiam, qua ſe indignos eſſe cenſebant; & ne ſecundo plorare tenerentur lapſum, leviſſimas etiam peccati occaſiones vitabant. Voluptates honeſtiſſimæ illis periculoſæ videbantur, & licet per pœnitentiæ magnitudinem primam morum integritatem reparaſſent, tanto ardore, & conſtantia perſeverabant in ſemet mortificare, id quod effecerat, ut ſemel peccarent, ut ſæpe fierent puriores, & ſanctiores illis, qui numquam in ſimiles noxas inciderant. *Sermo 1. Academiæ anni* 1667.

Impius Antiochus falſæ pœnitentiæ exemplum.

Tantum ſimilitudinis falſam inter, veramque pœnitentiam intercedit, ut Deus unus, qui cordium ſinus rimatur, illas diſtinguere valeat. Quinam dolor majorem veritatis ſpeciem præſetulit, quam impii Antiochi, qui pollicebatur ſe Jeroſolymitano Templo reſtiturum quidquid abſtulerat; neque id ſemel, ſed decies tantumdem? Qui adeo præclaras proteſtationes effecerat, & qui profunde adeo ſe humiliare videbatur? *Orabat ſceleſtus hic ad Dominum, a quo miſericordiam non erat conſecuturus.* Seſe cum lacrymis, & ejulatibus humiliabat, idque palam coram omnibus exercituum ſuorum ducibus, atque præfectis. Confitebatur crimen ſuum, & recipiebat, ſe protectorem futurum populi Dei, quem hactenus fuerat perſecutus. Volebat purpuram, regnumque abjicere, ut præco fieret mirabilium Dei. Cupiebat etiam in Judæorum ſacra tranſire, & hanc amplecti religionem, quæ una tunc erat vera. Quem hæ rerum ſpecies non fefelliſſent? Quis non crediſſet veram eſſe hanc illius pœnitentiam? Et nihilominus Deus illam abjecit. *A quo miſericordiam non erat conſecuturus. Auctor Recens.*

1. Mach. 9

Pœnitentia quamdam ſtatuit æqualitatis peciē Deum inter, & hominē.

Pœnitentia eſt effectus pendens a Divina juſtitia; cum enim per peccatum læſus fuerit Deus, injuria reparanda eſt, & Deo ex aſſe eſt ſatisfaciendum: & proprie loquendo læſa Dei juſtitia injuriam hanc delere non poteſt, neque hanc inæqualitatem redigere ad æqualitatem niſi per pœnitentiam. Etenim id pono, quod verum eſt, morientem in peccato illud retinere & in eodem perſiſtere in inferis in omnem æternitatem; donec Deus erit Deus, ſemper hoc peccatum committet. Ignes, carbones, flammæ, juſtitia Dei; facite quodcumque vultis in reprobo peccatore, numquam certe peccatum ejus delebitis. Illud in æternum puniam, dicet juſtitia Dei; ego vero, reſpondebit anima damnata, tibi in æternum maledicam. Te æternum odio perſequar, dicet peccatori Deus; ego vero, peccator reddet, te in æternum execrabor, & perhorreſcam. In æternum meam in te ultionem perſequar, dicet Deus; ego vero evomam in æternum maledicta rabiemque meam contra te. Ita juſtitia non delet unquam, ſed ſemper punit peccatum in Inferno. Deletur vero per pœnitentiam; hæc enim ſeparans peccatoris voluntatem a creatura, cui adhærebat; illam iterum cum Creatore, a quo peccator receſſerat, conciliat: cumque peccator infernum promeritus ſit, efficit, ut ille quidem ulterius non reformidet, ut illuc cadat; ſed ille ſibimet faciat infernum ad offenſam reparandam, ac ex integro reſtituendum Deo, quod illi debet. Cum vero infernus ſit omnium malorum ſentina: *Irruet ſuper eos omnis dolor*. Ita pœnitentia reddit cor inexplebile, ac induſtrium in excogitandis pœnis, quibus ſe ipſum torqueat in mundo. Punies me, Domine, in inferno tamquam inimicum; hic autem mirifice facis, ut ego in memetipſum animadvertam novis artibus pœnitentiæ. Hinc induſtres tot Sanctorum pœnitentias intuemur. *P. Antonius a S. Martino a Porta.*

Job. 20.

Sincera peccatorum noſtrorum confeſſio.

Ubi mecum reputo præteritæ vitæ meæ flagitia, quam terribilis peccatorum vis occurrit animo meo, quorum nondum egi pœnitentiam! Qua ratione mulcere poſſum Dei juſtitiam? Licet unum tantummodo ſcelus patraſſem: totum vitæ meæ ſpatium, quantumvis diuturnum, nimis fluxum eſſet, & breve ad pœnitentiam agendam. Quid autem erit poſt tot annos in habitu peccati traductos? Temet ulciſcere, Domine! Peccatorem hunc, a quo toties laceſſitus fuiſti, ſtatim puni, neque differas in diem ultionum tuarum tuas animadverſiones. Ecce tibi ſanctæ legis tuæ prævaricatorem inimicum gloriæ tuæ cupiditatum ſuarum mancipium; hominem in vitium pronum, virtuti oppoſitum, pœnitentiæ oſorem, tuæ gratiæ rebellem. Ecce illum ad pedes tuos provolutum, ſincere ſua fatentem crimina, ac ſemet ſubjicientem omnibus ſuppliciis, quæ eidem irrogaveris. *Peccavi*, utique ego toties te affeci contumelia. Mereor juſtiſſimam damnationis ſententiam, quam feres adverſum me, niſi oculis miſericordiæ tuæ me reſpexeris. Non dignus ſum, qui in filiorum tuorum numero recenſear; nomine adeo glorioſo dignus non ſum. Satis eſt, ut me veluti profugum ſervum tuum putes, cui tamen veniam largiri digneris: *Jam non ſum dignus vocari filius tuus: ſed fac me ſicut unum de mercenariis tuis. Chriſtianæ conſiderationes.*

Luc. 15.

Propoſitum pro virili deinceps expiandi peccata noſtra.

Nimium differs, Domine, animadvertere in peccatorem æque improbum, ac ego ſum. Volo deinceps me tibi æquiorem probare. Excipe tantum pœnitentiam, quam ſuſcepturus ſum ad reparandam contumeliam, qua infinitam majeſtatem tuam affeci. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die, ac nocte?* Reliquo vitæ meæ ſpatio lacrymis eluere volo factum, quo tibi diſplicui. Abrenuntio huic ſceleri, cui nimis adhærere viſus ſum, & cujus tandiu expectas, ut offeram tibi ſacrificium. Illi ex toto corde abrenuntio, illi in omne tempus abrenuntio. Sed quod reus crimen ſuum deteſtetur, non ſatis eſt; opus eſt, ut ſicut oblectatus ſum Deum lædens, ita nunc pœnitentiæ ſeveritatem experiar. Ex hoc ipſo temporis puncto polliceor, me non ægre neque gravate laturum, quidquid me pati volueris. Præterea in me ipſum quoque ultro animadvertere volo. Quæcumque mihi occurrent occaſiones voluptate aliqua perfruendi; eamdem mihimet interdicam, ut juſtitiæ tuæ in pœnitentiæ ſpiritu ſatisfaciam. Ita vitam moreſque meos volo inſtituere, ut nihil ſit, quod egomet mihi poſſim objicere. Reparare volo ſcandalum, quod pravis exemplis meis præbui. Cum autem quidquid facere poſſum exiguum eſt, tibi in ſatisfactionem offero paſſionem, & mortem Filii tui. Intuere mala, quæ pertulit, & dimitte peccata, quæ ego commiſi. *Ibidem.*

Jerem. 9.

Pœnitentiæ Spiritus.

Anima pœnitens libenter quærit ſolitudinem, a ſæculi corruptione recedat.

NOn poſtremus inter eos motus, quos ſpiritus pœnitentiæ inſpirat animæ, quam tetigit Deus, & quæ ſincero flagrat ſeſe convertendi deſiderio, amor eſt ſolitudinis, ſeu quod hæc illi tempus, locumque ſuppeditat effundendi cor ſuum coram Deo, nec non libertatem lacrymis, ſecretiſque gemitibus, quibus vitæ præteritæ flagitia perſequitur: ſeu quod reſpiciens Mundum, & occaſiones, quæ in Mundo paſſim occurrunt, quæ illam in tot flagitia impulerunt, & extiterunt cauſa lapſuum ſuorum, cum eodem timore, ac tremore, quo calamitoſus intuetur ſcopulos, in quos alliſus fecit naufragium, illos evitare conatur: ſeu quod edocta funeſta experientia cordis ſui corruptionem, voluntatis ſuæ imbecillitatem, ſuæque virtutis fragilitatem, putat ſe nullibi in tuto eſſe poſſe, quam in fuga, & ſolitudine. Hac de cauſa pœnitens peccator præ deſiderio pro viribus ſatisfaciendi Divinæ juſtitiæ, ſolerter evitat omnes ſodalitates, quibus ab hoc ad eo ſancto conſilio poſſet deterreri. Hinc ille vias omnes ſcrutatur in Dei gratiam redeundi, ac in ſe magis, magiſque confirmandi; nimis beatus ſi per pœnitentiæ mortificationes ſe ipſum confirmare poſſet in recta via ſalutis, æternæque felicitatis. *Societas ad petendum a Deo amorem Domini noſtri.*

Qui verum non habet peccatorum dolorem ſenſim duteſcit.

Si quando accidit, ut ſcelera noſtra mente repetamus; memoria hæc non permanet diu; mens ſtatim evagatur ad alia cogitanda: vix intra horam nos pœnitere poteſt ſcelerum noſtrorum, eorumque affici dolore. Hinc peccata peccatis agglomeramus, quia non ſatis nos eorum pœnituit, quæ patravimus; non laboramus admodum, ut illa confiteamur; & quomodo hoc fieri poſſet quandoquidem vix eorum reminiſcimur? Ita contemnentes peccata noſtra induramur? cumque nullo affecti ſimus dolore primorum ſcelerum, haud ægre veteribus addimus recentia. Cum enim nullis agitamur ſtimulis, & quieſcimus, quaſi nihil eſſet nobis metuendum; nullum ſcelus eſt, cui pares non ſimus, neque ultra reliqua eſt ulla ſpes ex cœno emergendi. Cum nullus eſt metus, nullus dolor, nullum probrum, nulla pœnitentia, ſpes etiam nulla eſt. *Ex Opuſculis Sancti Chryſoſtomi.*

Unus pœnitentiæ ſpiritus non eſt flere ſua mala, ſed ſua peccata.

Vera pœnitentia nequaquam in eo tantum ſita eſt, ut ingemiſcas, plores, ac te ipſum torqueas. Plurimi mœrent, & conqueruntur; ſed de ærumnis ſuis, terreniſque malis, de adverſa fortuna, de abjectis exercitationibus, quibus generis ſui humilitate addicti ſunt. Miſera quidem hæc vita eſt; dolore confici non ob peccata ſua, ſed ob infortunia. In miſero hoc triſtique ſtatu nullum cœlitus expectari poteſt ſolatium? laboratur ſine merito & citra aliquam ſpem mercedis. Quam felices eſſemus, ſi quod ex neceſſitate patimur, libenter pro noſtris ſceleribus, & propter Jeſum Chriſtum ſuſtineremus! Procul dubio jugum illius ſuave, & onus leve nobis videretur; & per fluxas, facileſque pœnas beatitudinis æternitatem mereremur. Veri pœnitentes invicta conſtantia omnes ſuperant difficultates, a ſe amovent quidquid zelo eorum in hac via naturæ permoleſta adverſatur. Animæ magnæ, quæ vere quærunt præteritæ vitæ mala reparare, licet multa ſint ardua, & aſpera in anguſta pœnitentiæ via, omnes ſuperant difficultates, & omnes pro virili conatus exerunt, ut divinæ juſtitiæ ſatisfaciant. Hic verus eſt pœnitentiæ ſpiritus. Hoc pacto expediti omni timore, & affectu rerum terrenarum ingredimur in arctam hanc viam, in hanc viam pacis, donec perveniamus ad illius pacis ſedem, quæ in omnem beatam æternitatem eſt perventura. *Card. Bellarm. de gemitu Columbæ.*

Deſcriptio bonitatis divinæ erga peccatorem exhibita in patre Filii Prodigi.

Quinam ſunt veri ſenſus animæ vere pœnitentis? Prodigi Filii ad Patrem reditus, ejuſque circumſtantiæ eos nobis palam oſtendunt. Reditus illius ſtatim conſilium redeundi ſubſequitur. *Surgam*, & ſurgit. *Ibo ad Patrem meum*, & ecce jam ſe ad illius pedes proſternit. Quælibet mora, ubi de pœnitentia agitur, pernicioſa eſt: pœnitentiam non agit, qui procraſtinatur. *Cum adhuc longe eſſet*: Deus hic ſeipſum deſcribit; poſtquam deſcripſit Filium, & pœnitentem. Non ſolum hic Pater nihil exprobrat Filio, quod ſuaviſſimi etiam mortalium faciunt: vix illi præbet ſpatium confitendi peccata ſua, cum cito ſibi jubet proferri *Stolam primam*. Ita ſeſe gerit Deus erga pœnitentem: præteritorum obliviſcitur; ab eo nihil ultra peccatori metuendum eſt: gratia omnem dulcoravit amaritudinem. *P. Croiſet in Aſceticis Exercitationibus &c. Tomo 2.*

Luc. 15.

Pœnitentiæ Felicitas.

Non deeſt quodam felicitatis genus in via pœnitentiæ.

CUm Mundi hujus vita infortuniis, ærumniſque perturbatur, lacrymis obortis noſtris mala profequimur: ſed heu! inutiles hæ lacrymæ ſunt, neque adempta nobis bona valent reparare. Lacrymæ vero, quas acer, vividuſque peccatorum noſtrorum ciet dolor, exitum habent toto cœlo beatiorem. Habent enim vim delendi omnes iniquitates noſtras, ac nos in eum reſtituendi felicem filiorum Dei ſtatum, unde per ſcelus excideramus. Peccati magnitudo, & veniæ ſpes duæ ſunt æque validæ cauſæ ad eliciendas ex peccatoris oculis lacrymas, eumque ad pœnitentiam impellendum. Si illis vis ineſt eluendi crimina; ſi ſaluberrimum ſunt pharmacum, cujus ope peccator ablatam ſibi nanciſci valeat ſalutem: nihil ultra requiritur, ut intelligamus de qua felicitate loqueretur Dei Filius, cum diceret: *Beati qui lugent.* Jeſus Chriſtus lugentes beatos vocat, *quoniam ipſi conſolabuntur*. Facile eſt intellectu eos qui pœnitentium more vixerint ſuper terram, gaudio repletum iri poſt vitæ hujus ſpatium. Triſtes quidem eritis, ait illis, ſed triſtitia veſtra mutabitur in gaudium. Hæc autem felicitas pro illis non eſt, qui lugent jacturam bonorum temporalium, pinguium prædiorum, honorum, & dignitatum; pro illis tantum eſt, qui Divinæ gratiæ jacturam fecerunt. Cor illorum gaudio replebitur, cum ſupremi boni poſſeſſio finem fecerit tot mœroris occaſionibus, quæ catervatim illi occurrunt, verum eſt, ſed in hac quoque vita animæ ſanctæ, humiles pœnitentes identidem eas delicias, quibus fruitur anima fidelis gratiæ, & quæ contendit præteritæ vitæ flagitia auſteritatibus, & mortificationibus, quæ præſentem ſuum ſtatum decent. Pœnitens terrenas haſce voluptates relinquens aliqua perfunditur voluptate; lacrymas fundens, gaudet; & ipſæ etiam mortificationes ipſi in delicias commutantur ita ut dicere poſſit cum Sancto Paulo: *Superabundo gaudio in omni tribulatione mea. Lambert in Anno Evangelico Tomo 7.*

Matth. 5.

2. Cor. 7.

PRÆCEPTA DEI.

EORUM OBSERVANDORUM OBLIGATIO, OBEDIENTIA LEGIBUS SUPREMI HUJUS LEGISLATORIS DEBITA.

MONITUM.

HOc in loco de divina lege non loquimur niſi quoad mandata, quæ continet, eorumque obſervandorum obligationem. Ideoque de obedientia generatim, de qua alibi ſermo fuit, verba minime facimus, neque de Evangelicis inſtitutis, quantumvis pleraque totidem præcepta ſint. Argumentum hoc primo ſtatim intuitu late nimis patere videtur, ut alia plura; ſed ſatis coarctatum, brevibuſque cancellis circumſcriptum eſt, ubi de ſingulis præceptis ſeorſim oratio minime habeatur, niſi quatenus exempli gratia afferri poſſunt, vel ut id, quod reliquis omnibus commune eſt, explicetur. Itaque de præceptorum Dei obſervantia, vel de obedientia, quæ legi debetur, didaſcalicus inſtitui poteſt ſermo, quemadmodum inſtitui ſolet de affectibus, pœnitentia, aliiſque id genus argumentis, quæ generatim conſiderari poſſunt, quamvis plurima habeant membra, quorum ſingula proprio, ac particulari ſermoni argumentum poſſunt ſuppeditare.

Notandum quoque eſt, quamvis Catechiſtæ vulgo Decalogum, vel Dei, & Eccleſiæ præcepta aſſumant pro familiarium inſtructionum ſuarum argumento, quatenus illa ſunt prima chriſtianæ religionis rudimenta pueris tradenda, hoc minime prohibere, quominus concionatorio more loqui poſſis de tanti momenti argumento, quod numquam ſatis pertractari poteſt; quoniam ſine præceptorum obſervatione adulti ſalvi eſſe non poſſunt; & harum ſacrarum legum prævaricatio unica eſt damnationis illorum cauſa. Adde his nullum ferme ſermonem eſſe, cujus aliquam ſibi partem hoc non vindicet argumentum, ſi totus in hoc nequaquam verſetur; etenim in hoc tota fere Moralis chriſtiana conſiſtit.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus Argumenti Synopſis:

I. *Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite.* Numquam Deus majori in majeſtate refulſit, quam cum lex ſua in monte Sinai promulganda fuit, atque probanda: quis terror, quis apparatus! Hodie vero in monte Tabor ſua induitur gloria; facies ejus ſole ipſo nitidior eſt; Moyſes, & Elias illum comitantur, quorum alter magnus eſt ipſius legislator, alter vero magno ſuccenſus fuit zelo contra legis prævaricatores.

Duo mortalium genera divinæ legis obſervantiæ opponuntur; alii hanc impune violant, & impii ſunt; alii negligunt illam, & ſunt ignavi Chriſtiani, ſuimetipſorum amatores, ac parum ferventes: illi eam injuſtitiæ inſimulant, quod libertatem ipſorum torquere velit, ejuſque uſum ipſis permittere; hi nimiæ ſeveritatis illam redarguunt, quod moleſtam, gravem, incommodam vitæ rationem ab ipſis expoſcat. Contra duplex hoc hominum genus duas haſce propoſitiones probaturus ſum, concionis partitionem futuras. Prima eſt, Dei legem juſtam eſſe, ipſam immo æquitatem: altera eſt, facilem eſſe, & commode obſervari poſſe; ideoque nos ad illam obſervandam ex juſtitia, & ex propria utilitate teneri.

Quoad priorem partem; Dei lex juſta eſt. 1. Quia juſtum eſt, leges a Deo irrogari, ut ab omnibus ſupremum ejus agnoſcatur imperium. Rex numquam melius ſuæ auctoritatis magnitudinem oſtendit, quam efficiens, ut voluntati ſuæ pareatur, ac ſuas leges indicens; tunc enim oſtendit ſibi poteſtatem eſſe obſequium, ac obedientiam exigendi. Ita Deus numquam ſe melius cognoſcendum tradidit, neque ſublimiorem unquam majeſtatis ſuæ conceptum populo impreſſit, quam cum illi veterem legem irrogavit. Nonne æquum eſt, ut cum ſupremus ſit Dominus, eidem obtemperetur, & homines hanc in ipſo qualitatem & agnoſcant, & fateantur? *Conſtitue legislatorem ſuper eos, ut ſciant gentes, quoniam homines ſunt.* Pſal. 9. 2. Leges quoque illius juſtæ ſunt, immo illis nihil æquius: per leges vero duodecim illius præcepta intelligimus. Etenim quantum verum eſt hoc principium, unum eſſe Deum, unum primum Ens, ſupremum, a nullo pendens, abſolutum univerſorum Dominum; tantum hæ quoque veræ ſunt illationes: igitur colendus eſt, illi ſerviendum; nomen ejus in honore habendum, habendaque tempora, ac dies ſtati, quibus illi ſolemnis cultus adhibeatur. In altera vero tabula principium hoc prima eſt regula æquitatis, alteri non eſſe faciendum, quod nobiſmetipſis fieri minime vellemus; unde ſequitur aliena bona eripienda non eſſe, proximi exiſtimationem non eſſe lædendam, neque thalamum polluendum. Omnes hujuſmodi regulæ æquitati naturali innituntur, eaſque gentes ipſæ barbaræ agnoſcunt neque perfectius aliquid cum omnibus meditamentis ſuis Philoſophi excogitarunt. Inde autem inferendum, illas a nobis diligentiſſime obſervandas eſſe. 2. Qui vero prævaricati fuerint, æternis afficiendos eſſe ſuppliciis, quia Deum lædunt, quem norunt. 3. Nos aliter teſtari non poſſe Deo ſubjectos eſſe, quam leges illius ſedulo obſervantes.

Propoſitio altera. Dei lex facilis eſt. Propoſitio hæc in paradoxorum numero non eſt recenſenda, quibus mens numquam acquieſcit, quæcumque afferantur argumenta. Veritas eſt, ipſi Dei verbo innixa: *& mandata ejus gravia non ſunt.* 1. Joann. 5. Hæ porro ſunt rationes. Cogita timores, atque ſtimulos conſcientiæ, ubi leges violantur, cogita animi inquietas ſollicitudines, cum de ſcelere patrando agitur; quot dolores, quam acerbitatem miſera parit voluptas. 2. Dei leges præ legibus mundi non ſunt difficiliores. Conſidera, quanti ſtet urbanitatis leges, & leges avaritiæ pati, & quam ſervilibus aſſentationibus opus ſit, ut omnibus placeas! Impii quoque hoc ipſum fatentur: *Ambulavimus vias difficiles, laſſati ſumus in via iniquitatis.* Sapient. 5. 3. Laborem lenit Deus unctione, quam effundit in jugum, quod geſtare nos jubet: *jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve &c.* Matth. 11. Hinc inferendum eſt, leges obſervandas eſſe ſine lenimento; hoc enim nos illis infringendis objicit, atque reipſa illas infringit, qui eas interpretatur, vel modificare contendit; quod oſtendi poteſt ſingulorum præceptorum inductione. Finis faciendus eſt eas referendo maledictiones, quas in divinæ legis prævaricatores Moyſes ejaculatur. *Hoc argum. eſt P. Catrou.*

II. 1. Obſervantia mandatorum Dei Chriſtiani gloriam conſtituit; quippe ſervire Deo, regnare eſt, & nulla ratione magis de illo benemereri poſſumus, quam illius mandata ſervantes, eique obedientes.

2. Obſervantia hæc ſedula, ac diligens noſtram conſtituit ſanctitatem, in hoc quippe conſiſtit præſertim, ne illud unquam lædamus, & ne a juſtitiæ ſemita unquam recedamus.

3. Illius conſtituit meritum, coronam, & cauſam remunerationis; ita enim loquitur S. Paulus, *corona juſtitiæ.* Cogere nos poterat Deus, ut gratis ei famularemur; ſed tam magnificus eſt, ut minimas etiam opellas immenſæ gloriæ pondere velit remunerari.

III. 1. In hoc incumbendum eſt, ut legem a Deo irrogatam agnoſcamus; ut videlicet intelligamus, quid illa præcipiat, quid vetet; ignorantiæ enim prætextus excuſare nequit Chriſtianum, qui a teneris uſque unguiculis edocetur illam, & cui tot ſuppetunt ſeipſum erudiendi viæ.

2. Inviolabili modo exercenda, obſervandaque eſt: fruſtra difficultates prætexemus; illud enim in nobis ſitum eſt, & nihil Deus præcipit nobis ultra vires noſtras; atque lex non eſt adeo difficilis, ut nonnulli putant, quippe difficultas omnis gratia imminuitur.

IV. Tria in nobis opponuntur obſervantiæ legis, & præceptorum, quæ nobis Deus irrogavit; ſed quamquam tres hæ difficultates inſuperabiles nobis videantur, illa tamen ſervare & poſſumus, & debemus.

1. Ratio noſtra excæcata affectionibus, quæ ſciſcitantur, cur Deus hoc, & illud præceperit, & quæ aliquid ſemper excogitant, quod mandatis ejus opponant.

2. Cordis noſtri corruptio, vel nequitia noſtræ voluntatis contra legem hanc rebellantis, quia ſtudiis noſtris, naturæque ipſius propenſioni eſt contraria.

3. Amor proprius, qui nullum ferre poteſt jugum, neque ullam ſibi vim fieri patitur: *Confregiſti jugum, & dixiſti: non ſerviam.* Jerem. 2.

V. Sermo inſtitui poteſt de præſtantia legis, quam Deus hominibus tradidit, & mandatorum, quæ illis ſervanda proponit, ut nos ad fidelitatem magis excitaret.

1. Præſtantia hæc ex auctoris dignitate deſumitur; Deus enim ſcripſit legem hanc digito ſuo, & ipſe hæc præcepta mortalibus irrogavit.

2. De horum mandatorum perfectione judicium ferri poteſt ex eorumdem ſubſtantia, videlicet ex rebus, quæ in iis continentur; quia nulla virtus eſt, quæ ibi non præcipiatur, vitium nullum, quod ibi non prohibeatur.

3. Ex finis eorum dignitate; non enim ad fluxum, ac periturum, ſed ad æternum bonum referuntur.

VI. Hi tres ſunt errores inſignes, quos homines in divinæ legis obſervantia committunt.

1. Dei lex reformare nos debet, hoc eſt ſanctiores, & perfectiores efficere; nos vero illam reformare conamur modificationibus noſtris.

2. Dei lex integre obſervanda eſt; nos vero nonniſi dimidium illius obſervamus, inde aliquam ſemper abſcindentes partem, cui noſmet ſubmittere detrectamus, quin cogitemus, quod in ea parta deficere idem eſt, ac legem totam violare.

3. Dei lex talis permanere debet, qualem Deus illam indixit; nos vero falſis traditionibus, ut olim Scribæ, & Phariſæi, corrumpimus illam.

VII. Hæ tres propoſitiones ſermonis partitionem efficere poſſunt.

1. Neminem ſalvari poſſe, niſi diligenter, atque conſtanter Dei mandata ſervaverit.

2. Illa ſervare in noſtra poſitum eſſe poteſtate, atque ad id neceſſarias vires, & gratias a Deo nobis ſuppeditari.

3. Facile etiam eſſe illa obſervare, ideoque omnem prætextum & excuſationem inutilem eſſe.

VIII. 1. Dei intereſt gloriæ, leges hominibus dicere, eoſque ad mandatorum obſervantiam obligare: quoniam alioquin ſuprema ejus auctoritas, juſtitia, providentia cognoſci non poſſent.

2. Noſtra quoque intereſt Dei leges, & præcepta ſervare; ab illis quippe ſalus, æternaque felicitas pendet; hoc pacto juſtitiæ illius evitamus ſupplicia, ac cœli benedictiones promeremur.

IX. 1. Alii Dei legem incuſant, quod ea juſſerit, quæ ſervari non poſſint. 2. Alii nimiæ ſeveritatis illam redarguunt, quod præcepta adeo difficilia, & gravia tradiderit. Duplici huic criminationi obviam eumdem eſt, oſtendendo, 1. hujus legis æquitatem, 2. facilitatem.

X. 1. Vult Deus legi ſuæ obtemperari ſubmiſſa obedientia, quin de irrogatis præceptis ratiocinemur.

2. Obedientia generoſa; repellit enim ignavos, qui leviſſima qualibet difficultate deterrentur. 3. Obedientia fideli, & generali, quæ ad omnia ſeſe extendat præcepta ſine exceptione, & quin pro qualibet occaſione, ac prætextu diſpenſari velimus.

XI. 1. Ignorantia prohibere non poteſt, ne Dei legem ſervemus, Deus enim legem ſuam tradens tradidit quoque omnia lumina, quæ ad illam perfecte cognoſcendam ſunt neceſſaria.

2. Neque nos prohibere poteſt infirmitas; illam quippe nobis injiciens Deus, vires omnes, ſubſidia, & gratia contulit nobis, quæ omnino erant neceſſariæ, ut illam ad unguem adimplere poſſemus. *Ex Pater Girouſt 2. ſermone Adventus.*

XII. Novæ legis præceptorum præ legis antiquæ commoda triplici hoc verbo S. Auguſtinus complexus eſt: *Mandata facta ſunt pauciora, faciliora, feliciora.*

1. Numerus minor eſt, quippe Salvator tot legis antiquæ præcepta abrogavit.

2. Faciliora ſunt, quia copioſior eſt gratia.

3. Fructus promptior eſt, & amplior remuneratio. *Ex eodem.*

XIII. 1. Quamquam Dei præcepta nobis exploratque ſint ſæpe illa ignorare ſimulamus, ne eadem obſervare teneamur.

2 Quamquam eorum neceſſitatem cognoſcamus, illa tamen ſervare negligimus, eo quod non intelligimus quantum negligentibus ea malum immineat.

XIV. 1. Dei lex frænum eſt, ne malum faciamus, quippe graviſſima prævaricationibus minitatur ſupplicia.

2. Fax eſt, quæ nos regit, ut bonum operemur: *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos, lucerna pedibus meis verbum tuum.* Pſalm. 18. & 118.

Tria requiruntur, ut lex auctoritatem omnem apud mortales obtineat.

XV. 1. Summa requiritur auctoritas, & abſoluta, alioquin detrectabitur.

2. Requiritur, quod lex lata ſit, cognita, promulgata, ita ut nemo ignorantiæ cauſam prætexere poſſit.

3. Requiritur denique, quod juſta, & æqua ſit, quod publicæ, & privatæ interſit utilitatis illam ſervare: quæ omnia in Dei lege inveniuntur.

1. Evangelicæ legis libertas oppoſita eſt ſervituti legis mundi.

XVI. 2. Evangelicæ legis ſuavitas oppoſita eſt mundanæ legis auſteritati.

3. Evangelicæ legis ſanctitas oppoſita eſt legis mundi impuritati.

XVII. Chriſtiani contra Dei legem tria mala committunt, & eadem, quæ Dei filius in Phariſæis arguebat.

Primum erat traditio contra legem: *Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditiones veſtras.* Mundus quamplurimas habet leges, quæ contra legem Dei præſcriptionem obtinuiſſe videntur.

Alterum eſt falſa legis interpretatio: & ſane quiſquis illam more ſuo interpretatur, & magis perſpicua præcepta in oppoſitum ſenſum detorquet.

Tertium eſt exterior, & ſuperficialis legis obſervantia, quin illius ſpiritum aſſequamur.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes, atque Auctores, unde hauriri copia poteſt ad propoſita concionum argumenta exornandas.

Sancti Patres. SAnctus Auguſtinus *lib. de natura, & gratia cap.* 69. probat, Deum nihil imperare, quod fieri non poſſit, quia juſtus eſt, ſed in rebus difficilibus illius implorandum eſſe ſubſidium, & charitati omnia eſſe facilia.

Hoc ipſum docet ſerm. *6. de tempore*, & in Pſ. 67.

Idem *lib.* 8. *cap.* 6. *de Geneſi ad litteram* rationem adfert, cur vetuit Deus, ne Adam veſceretur fructu, qui erat in paradiſo terreſtri.

Hoc ipſum dicit, & docet *conc.* 2. *in Pſ.* 70.

Idem *lib.* 14. *de civit. Dei* loquitur de inobedientia Adæ, ac de præcepto, quod illi irrogavit Deus.

Idem *in Pſ.* 118. *conc.* 5. hæc explicans verba, *Ne repellas me a mandatis tuis*, docet, ſine gratiæ auxilio nos propriis viribus adimplere non poſſe omnia mandata Dei, eamdemque doctrinam repetit in Pſalm. eodem *conc.* 17.

Idem in expoſitione Pſalmi 43. oſtendit Dei præcepta ſuavia eſſe, ac facilia ſpiritualibus, carnalibus vero, & huic mundo inhærentibus gravia.

Idem *in Pſ.* 118. hæc verba interpretatus, *ne abſcondas a me mandata tua*, oſtendit, quam ignorent hæc mandata, quæ omnibus perſpicua, explorataque ſunt.

Idem expoſitione Pſalmi 57. fuſius loquitur de naturali lege, quam ſcripſit Deus in cordibus noſtris.

S. Hieronymus hæc explicans verba: *Si non audieritis me, ut ambuletis in lege mea*, &c. refert minas quas intentat Deus illis, qui legem ipſius minime ſervant.

Idem in iis, quæ ſcripſit ad Cteſiph. ac in tribus libris contra Pelagianos oſtendit Dei mandata eſſe poſſibilia; ſed ad illa obſervanda neceſſarium eſſe gratiæ ſubſidium.

Idem in cap. 23. S. Matth. explicat Moſaicæ legis verba, quibus jubebantur Judæi ferre Dei præcepta alligata in manu, & ante oculos; & Sanctus hic ait, quod eas in manu ferre, idem eſt ac illa adimplere; ante oculos vero geſtare, idem ac illa jugiter meditari.

Idem *Ep.* 26. *ad Pammachium* docet Deum integrum nobis relinquere obſervare præcepta Evangelica, & ea quæ altioris ſunt perfectionis.

Hoc ipſum oſtendit in Epiſtola ad Demetriadem.

Idem *Ep.* 14. *ad Celantiam de ratione pie vivendi*, docet, Dei voluntatem ab illis tantum fieri, qui Dei ſervant præcepta, ideoque hos tantum cœlum eſſe adepturos.

Idem *lib.* 2. *contra Pelagianos* oſtendit, filium Dei præcepta ſua brevia vocare comparate ad Phariſæorum ſuperſtitionem, qui tot cæremonias adjiciebant iis, quæ præcipiebantur in lege, ut nemo eas poſſet adimplere.

Idem *Ep.* 1. *ad Demetriadem* docet, præcepta omnia eſſe adimplenda, & non aliqua tantum eligenda, atque aliis præferenda.

S. Cyprianus *Serm. de baptiſmo Chriſti* docet, nihil in Dei lege eſſe impoſſibile, vel nimis durum, & auſterum.

S. Leo *Serm.* 5. *de Epiph.* docet, quam leve ſit jugum Salvatoris mundi.

Idem *Serm.* 11. *de Quadrag.* docet, ad lucernam præceptorum Dei vitam noſtram a nobis nunc, & aliquando a Deo eſſe ad examen revocandam.

Tertullianus *lib.* 2. *ad uxorem cap.* 1. explicat, quid diſcriminis adſit inter præcepta, atque conſilia.

Origenes in Ep. Sancti Pauli ad Romanos, in expoſitione capitis 8. hæc explicans verba, *quis nos ſeparabit a charitate Chriſti*, docet, Dei præcepta præ aliis quibuslibet eſſe obſervanda.

Idem *Hom.* 16. *in c.* 26. *Levit.* loquitur de benedictionibus, quas effundit Deus in eos, qui præceptis obediunt.

Idem *lib.* 3. *cap.* 3. *Ep. Pauli ad Roman.* docet, præcepta adimplenda eſſe ante conſilia, & etiam ante particulares inſpirationes.

S. Baſilius *tract.* 2. *de Bapt.* oſtendit, ſi illi, qui oſcitanter Dei præcepta cuſtodiunt, a Deo puniuntur, quid tandem futurum de illis, qui eadem violant, vel minime ſervant?

S. Chryſoſtomus *lib.* 2. *de conjunctione cordis* oſtendit, Dei præcepta facilia eſſe ad obſervandum.

Idem *Homil.* 10. *in* 2. *ad Corinth.* docet, laborem, & difficultatem, quæ in præceptis ſervandis occurrit, unice ab ignavia noſtra proficiſci.

Idem *Homil.* 34. *in Matth.* probat, rem haud difficilem eſſe mandata ſervare exemplo eorum, qui fideliter illis paruere.

Idem *Homil.* 19. *ad popul. Antioch.* quæritur, quod mundus ſervis ſuis, quam ſuis Deus, imperet difficiliora.

Idem *Homil. in illud Pauli: ſalutate Priſcam, & Aquilam*, tradit præceptorum, & conſiliorum diſcrimen.

Idem pluribus in locis oſtendit, quam facile ſit ſervare præcepta. *Hom.* 57. *in Matth. Hom.* 28. *oper. imperfecti. Hom.* 1. *&* 9. *in primam ad Corinth. Homil.* 16. *in Epiſt. ad Hebr.* & in ſermone de Charitate.

Aſcetici aliique. Caniſius *in opere Catechiſtico* prolixum habet tractatum; ubi docet præcepta non eſſe impoſſibilia.

Catechiſmus Tridentini Concilii parte 3. §. 1. loquitur de præceptis Dei generatim.

S. Bernardus *Tract. de præcepto, & diſpenſatione.*

S. Bonaventura *in opuſculis.*

S. Thomas *opuſculo* 4.

Cajetanus *in opuſculis.*

Joannes Vitalis *in ſpeculo morali.*

Dandinus *in Ethicis ſacris part.* 4. *l.* 42.

Hortus Paſtorum *tract.* 2. *lect.* 1. *&* 2.

De Richelieu in inſtitutione chriſtiana lect. 7. loquitur de præceptis Decalogi.

Raynerius de Piſis, *in Pantheologia*.

Granatenſis in Duce peccatorum lib. 1. cap. 22. loquitur de utilitate eorum, qui Dei legem obſervant.

Caſuiſtæ, & Catechiſtæ omnes, ac plurimi Theologi, quiſque more ſuo, hoc argumentum pertractarunt.

In Specimine Ethicorum pro Quadrageſima tomo 2. ſerm. pro feria 4. hebdomadæ 3. ſermo eſt de prævaricatione mandatorum, & oppoſitione legis Dei, & mundi.

P. Girouſt ſermonem habet de legis obſervantia.

In ſermonibus, qui P. Ruæi eſſe creduntur, ſermo pro feria 4. poſt tertiam Quadrageſimæ Dominicam.

In ſermonibus, qui ſub P. Bourdalove nomine circumferuntur, duo ſunt de lege filii Dei.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta, de præceptorum obſervantia verba facit.

Qui collectanea ediderunt. In ſermone Purificationis tomo 1. myſteriorum Beatæ M. Virginis.

Peraldus, Labatha, Buſæus, Verbo *Obedientia*.

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, eo quod obedierit Abraham voci meæ, & cuſtodierit præcepta & mandata mea. Geneſ. 26.

Uſquequo non vultis cuſtodire mandata mea, & legem meam? Exodi 16.

Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea cuſtodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus ſuis, &c. Levit. 26.

Cuſtodi mandata ejus atque præcepta, quæ ego præcipio tibi, ut bene ſit tibi, & filiis tuis poſt te. Deut. 4.

Cuſtodite & facite quæ præcepit Dominus Deus vobis, non declinabitis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Ibid. cap. 5.

Erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo; & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis, ſedens in domo tua, & ambulans in itinere &c. Ibid. cap. 6.

Dominus elegit te hodie, ut ſis ei populus peculiaris, & cuſtodias omnia præcepta illius. Ibid. cap. 26.

Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, venient ſuper te maledictiones iſtæ, & apprehendent te; maledictus eris in civitate, maledictus in agro, &c. Ibid. cap. 28.

Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, &c. Ibid. cap. 30.

Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine. Pſalm. 118.

Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis, Pſalm. 11.

Beatus homo qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis. Pſalm. 111.

In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Pſalm. 118.

Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Pſalm. 39.

Qui fingis laborem in præcepto. Pſal. 93.

Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem. Pſalm. 118.

Pax multa diligentibus legem tuam. Ibid.

Ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquiſivi. Ibid.

Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Pſ. 18.

In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos. Pſalm. 118.

Maledicti qui declinant a mandatis tuis. Ibid.

Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Ibid.

Beatus vir . . . . in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte. Pſ. 1.

Beati qui ſcrutantur teſtimonia ejus; toto corde exquirunt eum. Pſ. 118.

Tunc non confundar cum perſpexero in omnibus mandatis tuis. Ibid.

Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum. Ibid.

Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo. Ibid.

Meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi. Ibid.

Memor fui nocte nominis tui, Domine, & cuſtodivi legem tuam. Ibid.

Portio mea Domine, dixi cuſtodire legem tuam. Ibid.

In toto corde meo ſcrutabor mandata tua. Ibid.

Lex tua meditatio mea eſt. Ibid.

Omnia mandata tua veritas. Ibid.

Salvum me fac, quoniam juſtificationes tuas exquiſivi. Ibid.

Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea eſt. Ibid.

Super omnes docentes me intellexi, quia teſtimonia tua meditatio mea eſt. Ibid.

A judiciis tuis non declinavi, quia tu legem poſuiſti mihi. Ibid.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Ibid.

Da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua. Ibid.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam. Ibid.

Longe a peccatoribus ſalus, quia juſtificationes tuas non exquiſierunt. Ibid.

Vide quoniam mandata tua dilexi Domine. Ibid.

Iniquitatem odio habui, legem autem tuam dilexi. Ibid.

Servavi mandata tua, & teſtimonia tua, quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo. Ibid.

Omnia mandata tua æquitas. Ibid.

Fili ſerva mandata, & vives, & legem quaſi pupillam oculi ſcribe eam in tabulis cordis tui. Prov. 7.

Deum time, & mandata ejus obſerva: hoc eſt enim omnis homo. Eccli. 12.

Qui permanſit in mandatis ejus, & derelictus eſt? Eccli. 2.

Qui timent Dominum, cuſtodiunt mandata illius. Ibid.

Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilii ſui; adjecit mandata & præcepta ſua. Ib. cap. 15.

Si volueris mandata ſervare, conſervabunt te. Ibid.

Qui credit Deo, attendit mandatis. Idem cap. 32.

Utinam attendiſſes mandata mea? facta fuiſſet ſicut flumen pax tua. Iſaiæ 48.

Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam. Jerem. 31.

Salutare ſacrificium eſt attendere mandatis, & diſcedere ab omni iniquitate. Eccli. 35.

Computruit jugum a facie olei. Iſaiæ 10.

Væ vobis qui reliquiſtis legem Domini altiſſimi. Eccli. 41.

Altiora te ne quæſieris; ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper. Idem cap. 3.

Si audieris præcepta Domini, & cuſtodieris ea, venient ſuper te benedictiones. Deut. 28.

Hic liber mandatorum Dei, & lex quæ eſt in æternum: omnes qui tenent eam, pervenient ad vitam; qui autem dereliquerunt eam, in mortem. Baruch. cap. 4.

Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditiones veſtras. Matth. 15.

Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Id. c. 19.

Irritum facitis præceptum Dei, ut traditionem veſtram ſervetis. Marc. 7.

Euntes docete omnes gentes . . . . docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis. Matth. 28.

Fac hoc, & vives. Luc. cap. 10.

Magiſter bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam? qui dixit ei . . . . Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Matth. cap. 19. v. 16. 17.

Non veni ſolvere legem, ſed adimplere. Matthæi c. 5.

Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve. Idem cap. 11.

Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum; ſed factores legis juſtificabuntur. Ad Roman. 2.

Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, & Chriſto Jeſu, ut ſerves mandatum ſine macula, irreprehenſibile. 1. ad Timoth. 6.

Qui ſervat mandata ejus, in illo manet, & ipſe in eo. Joann. 3.

Hæc eſt charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus; & mandata ejus gravia non ſunt. 1. Joann. 5.

In hoc ſcimus quoniam cognovimus eum, ſi mandata ejus obſervemus. Ibid. cap. 2.

Qui dicit ſe noſſe eum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt. Ibid.

Qui peccat in uno, factus eſt omnium reus. Jacob. 2.

Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me. Joann. 14.

Exempla ex Veteri, Novoque Teſtamento deſumpta.

Exemplum Adæ. ADam primus a Deo præceptum accepit, & primus illud perfrigit. Hac de re plurimæ haberi poſſunt quæſtiones, quas explicare hujus loci non eſt: exempli gratia, cur Deus legem irrogaverit illi, quem conſtituerat, ut præeſſet cæteris animantibus, & eſſet veluti rex omnium creaturarum: quomodo primus ille mor-

le mortalium tanta præditus ſapientia, & cujus mens adeo præclaris erat illuſtrata luminibus, ſe in errorem agi permiſerit, ut infringeret mandatum Creatoris ſui, quem vitæ ſuæ fatebatur auctorem, & qui mortem illi fuerat minitatus, niſi paruiſſe: & quomodo tandem præcepti hujus prævaricatio cauſa extiterit excidii potius poſteritatis, omniumque malorum, quæ deinceps terris incubuere? Omnes has miſſas faciamus quæſtiones, ut primæ dumtaxat reſpondeamus. Dedit Deus legem Adæ, ut ſciret ſibi ſuperiorem eſſe, a cujus nutu pendere, & cui obtemperare debebat. Prætérquamquod volens Deus illum æternam mereri felicitatem, propter quam creatus fuerat, hanc æquiori, atque ſtatui ſuo magis conformi ratione non poterat promereri, quam Superioris ſui ſeſe ſubmittens imperiis. Sed pœna, quam propoſuit Deus ob rebellionem primi hujus hominis, qui præſtantiſſimum erat manuum ejus opus, oſtendit, quænam ſupplicia eos maneant, qui per audaciam, atque temeritatem ultoris hujus Dei leges, & præcepta violaverint.

Exemplum Abrahæ. Quemadmodum Adam primus eſt, qui inobedientiæ ſuæ exemplo mortales ad leges Domini perfringendas impulerit, ita Abraham mortalibus propoſitus eſt, tamquam primum, atque præſtantiſſimum exemplar obedientiæ, quæ ſupremo univerſorum Domino debetur. Et profecto poſt Dei filium nullius fidelitas melius probata fuit imperiis gravioribus. Juſſus enim fuit patrium ſolum, & locum nativitatis relinquere in aliam conceſſurus regionem, quæ ipſi locus erat exilii; atque ſtatim dicto paruit. Seſe circumciſionis legi ſubmiſit, quam ut in ſeipſo inciperet, Deus illi præcepit. Quod vero ſancti hujus Patriarchæ obedientiam effecit inſigniorem, omneſque cœli benedictiones in ipſum, omnemque illius progeniem promeruit, illud fuit, quod per ipſum non ſteterit, quominus graviſſimum; acerbiſſimumque facinus aggrederetur; videlicet, ut illi filium ſacrificaret unigenitum, ſpem frequentiſſimæ ſobolis, quam per hunc eumdem filium Deus illi ſe conceſſurum receperat. Non audiit ille hac in re naturæ ſuæ ſenſus; non hæſit videns ſecum pugnare & Dei recens præceptum, & ejuſdem promiſſionem. Leges omnes, quas deinde omnibus hominibus irrogavit Deus, nihil habent, quod cum præcepti hujus auſteritate valeat comparari.

Moyſis exemplum. Magnus hic vir, cujus opera uſus eſt Deus, ut populum ſuum de Ægypti captivitate liberaret, Legislator vocatur, quia ipſe veterem legem indocili tulit populo, qui nonniſi metu ducebatur; ideoque lex illa data fuit in monte Sinai, ad quem populus ne accederet terribili fulgurum inde emicantium aſpectu, formidabili tonitruum fragore, ac horribili buccinarum undequaque clangentium ſonitu deterrebatur. Ita Deus promulgavit decem præcepta, quæ in lege illa continentur, & quæ ad ſæculorum uſque finem erunt vitæ noſtræ regula, ita ut violari minime valeant, quin committatur ſcelus, & quin hoc auſus ſe perduellionis, ac divinæ Majeſtatis læſæ conſtituat reum. Ambigi nequit quominus Moyſes, qui a Deo fuit electus, ut legis hujus eſſet præco, ejuſdem fideliſſimus quoque fuerit obſervator; ſi enim peculiaribus a Deo ſibi traditis paruit imperiis, qualia fuere, Pharaonem adire, populum per medios Ærythrei maris fluctus traducere, aliaque id genus, ubi maxime firmi, & conſtanti animi præſentia fuit opus, credendum eſt, cum Deus illius uſus fuerit opera, ut leges ſuæ ab aliis ſervarentur, hoc primum quoque fuiſſe, qui eas fideliſſime obſervaret, quandoquidem mox adeo ſevere animadvertit in earum prævaricatores, necnon minas, & maledicta acerrime in illos ejaculatus eſt, a quibus perfringerentur.

Alia Scripturæ exempla. Inutile foret hic multitudinem congerere exemplorum cum eorum, qui fideliter Dei legem ſervarunt, tum eorum, qui ſeveriſſimis affecti fuere ſuppliciis, eo quod illam violarunt; omnes enim veteris teſtamenti juſti viri nomen hoc meriti non ſunt, ac tales reipſa non fuerunt, niſi quod ſeduli extiterunt legis obſervatores, & omnia ſcelera, quæ ab ipſis uſque terrarum primordiis patrata fuerunt non aliud fuere, niſi vel naturalis, vel ſcriptæ legis prævaricationes; quemadmodum benedictiones, omneſque gratiæ ſeu temporales, ſeu ſpirituales, quibus Deus veteres Patriarchas, Prophetaſque cumulavit, fidelitatis eorum hac in re præmia fuere. Verum omittere nullatenus poſſum tres viros, qui religioſiſſimi fuerunt divinæ legis obſervatores, & quibus Scriptura ſingulari pacto hoc defert elogium.

Exemplum Job. Primus eſt S. Job, qui in ipſa licet naturæ lege dicitur juſtus, & timens Deum, quem ille ipſe tot malis obrutus in amaritudine cordis ſui innocentiæ ſuæ teſtem appellat. Quamobrem Origenes lib. 1. in Job ait, hunc omnem obſervaſſe legem, antequam lex ipſa ferretur: *Ante legem, & extra legem adimplevit omnia.*

Alter eſt S. Rex David, cui Sacer Textus hoc perhibet teſtimonium: *Inveni David virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Hic tamen ſemel lapſus eſt adulterii, & cædis reus; quæ crimina explicite prohibentur in lege: ſed illius pœnitentia æque inſignis eſt, ac ejus crimina, quæ infinitis propemodum juſtitiæ operibus reparavit eo uſque, ut nullum inter Pſalmos ejus invenire ſit, ubi de ſua in Domini legibus ſervandis fidelitate verba non faciat; cujus argumenti totus eſt, quantus eſt Pſ. 118.

Exemplum David. Tertius denique eſt Tobias, cui Scriptura pariter gloriosum hoc perhibet teſtimonium, quod integerrima fide obſervaverit legem Dei ſui ab adoleſcentia, atque hac in re ſupra reliquos gentis ſuæ excelluerit. Cum enim eſſet ex numero captivorum, non potentiſſimi regis minæ, non concivium exempla, non uxoris convicia illum ab officio, & obedientia, quam debebat Deo, dimovere unquam potuerunt: quod deinde ipſum etiam, filio ſuo tamquam pretioſiſſimam hæreditatem commendavit.

Exemplum Tobiæ. Dei filius, mundi Salvator, novæ legis auctor eſt: ille nihil in Decalogo immutavit, cui ſi quid addidit, id egit, ut aliquod præceptum in ſublimiori perfectionis gradu obſervaretur, majorem præcepto charitatis tribuens latitudinem, ac radicitus convellens, quidquid criminoſam legis perfectionem gignere poſſet. Abſtulit ille quidem Chriſtianis omnium legalium cæremoniarum onus, quæ illis temporibus bonæ erant, & ſanctæ, ſed quæ, cum figuræ eſſent tantummodo, ceſſare debebant, ſtatim ac veritas enituiſſet. Sed ut noſmet ſubjiceremus iis, quæ ad vitæ noſtræ inſtitutionem in lege veteri erant eſſentialia, illis ſeſe primum ſubmittere dignatus eſt Jeſus Chriſtus: *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere.* Matth. 5. ita ut ejus exemplum non minorem in animis noſtris vim debeat habere, quam ipſa præcepta ab ipſo probata, ac inſtaurata. Hoc ille dixit Joanni Baptiſtæ, cum illum adiit ab eodem baptizandus: *Decet nos implere omnem juſtitiam.* Quæ verba nihil aliud ſignificare poſſunt, niſi: quemadmodum veni, ut ſanctarum perfectarumque legum, quæ in Evangelio continentur, legiſlator eſſem, volo quoque earum eſſe fideliſſimus obſervator: & in hoc omnem adimplebo juſtitiam, quæ ſita eſt in harum legum obſervantia, quas nemo ſervabit, qui juſtus, perfectuſque non ſit.

Exemplū ſanctorum novæ legis. Jeſu Chriſti exemplo ſubnectendum hic eſſet omnium novæ legis Sanctorum exemplum: quoniam vera ſanctitas in hoc poſita eſt, ut obſerventur leges, & mandata Dei; & illi præ cæteris ſanctitatis laude floruerunt, qui ea perfectius ſervarunt. Hoc juſti nomen ſignificat, quod Evangelium tribuit illis, veluti Sancto Joſeph, ſanctoque ſeni Simeoni, aliiſque nonnullis; & quotieſcumque in Scriptura de Juſtis ſermo eſt, illi intelligendi ſunt, qui fideliter leges, & præcepta Domini ſervarunt.

Applicationes.

Cur homines legibus ad vitam ducendā indigeant. *COnſtitue legiſlatorem ſuper eos, ut ſciant gentes, quoniam homines ſunt.* Pſalm. 9. Egregius, ut mihi videtur, tribui poteſt ſenſus his verbis David. Conſiderat ille effrænem Ethnicorum licentiam, propter quam ſine lege, ac ſine ulla ſubmiſſione vivebant. Hoc in ſtatu illi ſe vel Deos credant oportet, vel belluas. Deus nimis magnus eſt, neque ſuperiori lege regi poteſt; bellua nimis ſtupida eſt, neque rationabili obedientia poteſt dirigi. Quicumque vivere vult ſine lege, ad aliquam ex hiſce gradibus ſe vel attollit, vel dejicit, & in neutro homo eſt. Sed proh bone Deus! *Conſtitue Legiſlatorem ſuper eos*, qui illos in ordine cohibeat, & qui oſtendens illis ipſos neque belluas eſſe, quandoquidem ratione præditi ſunt, ut regi poſſunt, neque Deos nimis quippe infirmi ſunt, ut ſeipſos regant, doce eos homines eſſe liberos quidem, ſed cum lege liberos: *Conſtitue legiſlatorem ſuper eos.* *Maſcaron in quadam funebris oratione.*

Quo in ſenſu, qui offendit in uno factus eſt omnium reus. *Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.* Jacob. 2. Quicumque totam ſervans legem in uno tantum ejus articulo prævaricatur, reus eſt, quaſi legem totam perfregiſſet. Chriſtiana ſanctitas in praxi, ac totius legis obſervantia conſiſtit. Hoc inferendum eſt ex Apoſtoli verbis, cui dicere ſatis non eſt, qui unicum legis apicem violaverit, totius violatæ legis reum eſſe; ſed etiam id probat: Qui enim, ait ille, dixit: *Non mœchaberis*, ait etiam, *non occides*. Si occideris, licet mœchatus non fueris, legis es prævaricator. Hæc verba probant, Chriſtianum eligere non poſſe legem particularem,

rem, ſed ſimul univerſas ſanctitatem illius efficere debere. Non quod verba hæc perinde ſint intelligenda, ac ille, qui adulter non eſt, ſit licet homicida, æque ſit nocens, ac ille, qui & adulter ſimul eſt, & homicida; videlicet quaſi qui contra unam tantummodo legem peccat, reipſa ſingularum ſit legum prævaricator: hæc non eſt Apoſtoli ſententia affirmantis ſolum, qui unam dumtaxat legem violat, totius legis eſſe prævaricatorem, vel quod illam duntaxat legem infringens præſto eſt, ut univerſam infringat; ſeu quod illam tantum tranſgrediens peccat contra charitatem, a qua tota lex pendet, & Prophetæ; & hoc pacto ſit totius legis tranſgreſſor.

Lex Dei lumen eſt nos illuminans.

Fili ſerva mandata, & vives, & Legem quaſi pupillam oculi &c. Prov. 7. Sapiens non poterat apertius oſtendere, qua cura Dei lex ſit a nobis ſervanda, quam eamdem comparando cum oculi pupilla, qua nihil diligentius tuemur, quia facile vulnerari poteſt, & quia omnia vulnera illius maxime ſunt periculoſa, eo quod ſummopere delicata eſt; ideoque natura illam circumundique palpebris ſerpſit, ut eam facilius defenderet. Hoc ipſum dici poteſt de lege Dei, quæ facile violatur; ad id enim una ſufficit cogitatio, unicus oculorum conjectus, unicus voluntatis actus, licet extrinſecus non prodeat. Cæterum præſtaret ſibi oculos eruere, ut loquitur Salvator, quam pati, illos nobis ſcandalum adferre intuitu alicujus objecti, quod nos ad Dei legem infringendam alliciat.

Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Pſ. 18. Dei lex, & præcepta, quæ continet, nulli rei melius comparari poſſunt, quam lucernæ, quæ nos illuminat, & quæ inter vitæ hujus tenebras nos deducit; etenim illius ope detegimus laqueos, qui tenduntur nobis, & inſidias, quæ nobis ſtruuntur. In via, per quam incedimus inter obſcuræ hujus noctis tenebras, hoc eſt in ignorantia eorum, quæ bona, vel mala ſunt, atque in periculo hæc pro illis accipiendi, lucernæ hujus fulgore dignoſcimus ſemitam, quam ſequi debemus, & ſcopulos, qui evitandi ſunt. Judicamus bonum ex conformitate cum lege hac; malum vero ex ejuſdem oppoſitione cognoſcimus. Ita quemadmodum lex peccati, ut Apoſtolus inquit, nos excæcat, vel oculis noſtris velum obtendit, ne bonum ſecernamus a malo: Dei lex e contra oculos nobis aperit, & illuminat, ut detegamus pericula, quibus ſepti ſumus, & hac ratione prohibet, ne in illa ruamus. Quamobrem regius idem Propheta illam vocat facem, atque lucernam greſſus noſtros regentem: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.*

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum ad hoc pertinentes argumentum.

NOn erat unde ſe homo habere Dominum cogitaret, niſi & aliquid ei juberetur, & aliquid prohiberetur, Auguſt. in Geneſ.

Oportuit ſic hominem prius fieri, ut bene velle poſſit & male; gratis, ſi bene, nec impune, ſi male. Idem, in Enchirid.

Conforta me Domine ut poſſim; da quod jubes, & jube quod vis, Idem, lib. Confeſſionum 10. cap. 19.

Deus non impoſſibilia jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis. Idem, l. de natura & gratia, c. 43.

Sicut obedientia ſecundi hominis eo prædicabilior, quia factus eſt obediens uſque ad mortem; ita inobedientia primi hominis eo deteſtabilior, quia factus eſt inobediens uſque ad mortem. Id. lib. 14. de Civ. Dei.

Ubi magna eſt inobedientiæ pœna propoſita, & res a Creatore facilis imperata, quiſnam ſatis explicet quantum malum ſit non obedire in re facili, & tantæ poteſtatis imperio, & tanto terrenti ſupplicio? Id. Ibid.

Si quis unum mandatum cuſtodiat, & aliud prævaricatur, nihil ei prodeſt. Id. lib. de Parad.

Non eſt amicus recti, quando ſi fieri poſſet, mallet id quod rectum eſt, non juberi Id. in Pſalm. 66.

Mandata in nova lege facta ſunt pauciora, faciliora, feliciora. Id.

Præcepta Dominica & multa ſunt & unum; multa per diverſitatem operis, unum in radice dilectionis. Idem, Homil. 19. in Evang.

Data eſt hominibus conſcripta lex, non quia in cordibus ſcripta non erat, ſed quia tu fugitivus eras cordis tui, ab illa comprehenderis, & ad teipſum revocaris. Id. in Pſalm. 57.

Nulla eſt anima quamvis perverſa, quæ tamen ratiocinari poſſit, in cujus conſcientia non loquatur Deus. Quis enim in cordibus hominum ſcripſit legem naturalem niſi Deus? Id. de Serm. Domini in monte, cap. 15.

Manu formatoris noſtri in ipſis cordibus noſtris veritas ſcripſit, quod tibi non vis fieri, alteri non feceris. *Hæc, & antequam lex daretur, nemo ignorare permiſſus eſt, ut eſſet unde judicarentur & quibus non eſſet data lex.* Id. in Pſalm. 57.

Mandatis Dei rectis atque arduis, humana non contemperatur infirmitas, niſi præveniens ejus adjuvet charitas. Id. in Pſalm. 118. Serm. 5.

Si aliquid juſſerit Deus, quod ſecundum homines videatur injuſtum, juſtum credatur & fiat; cujus voluntas eſt ſola vera juſtitia. Id. lib. de ſingul. Cleric.

Æquo jure mandatur omnibus, nullus ab hoc imperio liber eſt. (Loquitur de præceptis divinis) Hieron. Epiſt. ad Celantiam.

In quovis propoſito, in quovis gradu, æquale peccatum eſt, vel prohibita admittere, vel juſſa non facere. Id. in Epiſt.

Non præcepiſſet hoc qui bonus & juſtus eſt, niſi etiam facultatem, qua id faceremus, fuiſſet largitus. Baſil. in regul. brev.

Execramur blaſphemiam eorum, qui dicunt aliquid homini a Deo eſſe præceptum, ut mandata Dei non a ſingulis, ſed ab omnibus in commune poſſent ſervari. Hieron. in explanat. Symb. ad Damaſum.

Ad naturam obſequii prior eſt voluntas imperantis, quam utilitas obſequentis. Tertull.

Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam juſtificato, & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit. Conc. Trid. Can. 18.

Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve, ait Dominus; & nos e contra gravia efficimus, quæ ille levia conſtituit, & quæ ille ſuavia poſuit, nos facimus amara peccando, Chryſoſt. de compunct. cordis.

Deus juſſit, & audes interrogare ſi legem implere eſt poſſibile. Id. Homil. 8. ad Popul. Antioch.

Juſte enim nobis inſtat præcepto, qui præcurrit auxilio. S. Leo, Serm. 16. de Paſſ. Domini.

Lex Dei, lex ſemper, lex ad omnes, a cujus obſervatione nulla poteſt eſſe exemptio. Guill. Pariſienſis.

Naturæ lege homo ſcire compellitur, ſeu pravum, ſive rectum ſit, quod operatur. Greg. in cap. 27. Job.

Tunc Decalogi mandata perficimus, cum quatuor libros Evangelii cuſtodimus. Id. Homil. 16. in Evang.

Gravia mandata non ſunt electis, quia dum æternæ vitæ gloriam magno deſiderio appetunt, præcepta Evangelica gratanter ferunt. Id. lib. 5. in Reg.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu hoc in argumento depromi poſſit.

Quid lex, & præceptũ:

QUodcumque ſtatuatur diſcrimen legem inter, atque præceptum, conſtat, utrumque irrogandum eſſe a legitimam auctoritatem habente, & utriuſque ſcopum eſſe debere actiones noſtras ad finem adducere laudabilem, honeſtum, & rationi conformem, ſive nos ad aliquid faciendum imperiis excitando, ſeu poteſtate pœnas, ac præmia ſtatuendi rei alicujus uſum interdicendo.

De Decalogo, & lege Dei.

Decalogi nomen legem ſignificat decem complectentem mandata præſtantiſſima, juſtiſſima, & æquitati naturali maxime conformia; ſive eorum ſpectetur auctor qui ipſe Deus eſt; ſeu finis præſtantia, quia non ad caducum, fluxumque, ſed ad æternum bonum referuntur; ſeu denique ea reſpicimus, quæ continentur in illis, quia nulla virtus eſt, quæ ibi non præcipiatur, vitium nullum, quod ibi non prohibeantur; ita ut a S. Auguſt. qu. 401. in Exod. legum omnium compendium nuncupetur.

Et profecto, licet Deus Iſraelitis plura præcepta irrogaverit, videmus tamen ſatis exiſtimaſſe Moyſi duas tradere tabulas, quæ legis tabulæ appellantur, voluntatis ſuæ teſtes ſæculis omnibus futuras. Ita ſi propius res ipſas inſpexerimus, videbimus, alia quævis præcepta in decem mandatis duarum harum tabularum contineri; non ſecus ac iſta in amoris Dei, & proximi præceptis continentur, quæ, ut Jeſus Chriſtus docet, legem omnem, atque Prophetas complectuntur. Animadvertendum tantummodo eſt, cum Deus Moyſi legem ſuam tradidit, non tam dediſſe illi novum lumen ad populorum mores formandos, quam inſtauraſſe, ac fulgidius effeciſſe illud, quod in anima ipſorum impreſſerat, & cui caliginem quemdam inveterata cordis eorum corruptio offuderat, ne quis audiens Moyſis legem abrogatam fuiſſe, ſibi duarum tabularum præcepta nequaquam obſervanda eſſe arbitretur. Certum eſt enim. non ideo his præceptis obtemperandum, quia per Moyſem lata fuere; ſed quod natura ipſa in hominum cordibus eadem impreſſiſſe videtur,

detur, & quod ipſe Dei filius ea in Evangelio explicuit, & confirmavit.

Cur Deus legem hanc hominibus dederit.

Deus in mundi creatione in humanis cordibus naturalem legem inſculpſit, videlicet lumen, & cognitionem, qua natura ipſa docet, quid faciendum, quidve fugiendum ſit; poſtmodum vero conſiderans, quod hominum in culpam proclivitas, & habitus ejuſdem, qui in ipſis inoleverat, ex corde eorum quodammodo legem hanc obliteraverat; nec non quod plurimorum improbitas efficeret, ut illam ſe ignorare ſimularent; ut coram omnibus ſuam probaret providentiam, infinitæ bonitatis conſilio decrevit, ob oculos eorum ſcriptam legem proponere, qua novo quodnam veluti titulo id obſervare tenerentur, quod antea in corde ipſorum ſcriptum fuerat. Hæc autem lex hominibus per Moyſem lata in duas diviſa eſt tabulas propter veritatem objecti, Dei videlicet, & proximi; illius quippe ſcopus eſt hominem ſalvare efficiendo, ut Deo, & proximo ea, quæ debet, perſolvat. In priori enim continetur, quidquid debemus Deo; poſterior autem rationem continet, qua noſmetipſos cum proximo gerere debemus.

De Lege æterna, naturali. divina &c.

Quamquam lex iſta in decem mandatis contenta vulgo ſcripta lex, vel lex Moyſis vocatur aliis etiam nominibus appellari conſuevit hoc ipſum ſignificantibus, ejuſque præſtantiæ ideam dumtaxat adſtruentibus. Nonnumquam enim dicitur lex naturalis, quatenus ab omni homine rationis compote agnoſcitur, & nulla natio adeo barbara eſt, quæ ſolo rationis lumine non intelligat, quid bene, vel male ſit actum; aliquando etiam lex æterna vocatur, quamquam non aliud eſt, quam æternæ legis quidam veluti radius, ac participatio. Ita regius loquitur Propheta Pſalm. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*: & Philoſophorum Ethnicorum nonnulli fateri non dubitarunt, nullam juſtam, & æquam legem eſſe, quæ ſuam non ducat originem a lege æterna, quæ in ipſo Deo eſt. Ad hæc divina, poſitiva, & ſcripta appellatur, quia Deus verus ejuſdem auctor non ſolum verbis illam promulgare voluit, verum etiam digito ſuo, ut Patres loquuntur, ſcripſit eam, & ad nos uſque tranſmiſſa fuit per Jeſum Chriſtum novum legislatorem confirmata.

Diſcrimen inter veterem, novamque legem.

Sanctus Thomas 1. 2. *Quæſt.* 98. *art.* 1. ait, certum, & conſtans eſſe legem antiquam bonam fuiſſe; & Apoſtolus illam ſanctam, ejuſque præcepta ſancta, bona, juſtaque appellat; præterquamquod maxime conformis erat rectæ rationi, quandoquidem coercebat concupiſcentiam, & vetabat peccata rectæ rationi prorſus oppoſita; ſed in hoc erat imperfecta, quod ex ſe minime poterat ſubditos, quos regebat, ad extremum eorum finem adducere; neque enim illis conferebat gratiam, ſine qua æterna beatitudo obtineri non poteſt, & quæ legi Jeſu Chriſti erat reſervata. Ita vetus hæc lex peccatum prohibebat, ſed illud delere non poterat; quod privilegium erat unius ſanguinis Jeſu Chriſti, vel gratiæ illius. Igitur quemadmodum vetus lex prohibens peccatum aliquid ad æternæ felicitatis acquiſitionem operabatur, in hoc erat bona; ſed quia gratiam non conferebat, in hoc erat imperfecta, ut inquit Apoſtolus. Conſule Sanctum Thomam.

De præceptis affirmativis, & negativis.

Operæ pretium eſt hac in re non prætermittere diſcrimen illud, quod adeſt inter affirmativa præcepta, quæ aliquid faciendum imperant, & ea, quæ negativa dicuntur; quæ aliquid fieri vetant; hæc videlicet obligare ſemper, quovis tempore, & quibuslibet in occaſionibus: exempli gratia præceptum, quod prohibet, ne aliena rapiantur, vel ne proximo obtrectetur, pro quodlibet tempore latum eſt; cum interim præcepta affirmativa, exempli gratia eleemoſynæ erogandæ, alicujus charitatis operis exercendi, in quibuſdam tantummodo circumſtantiis, & occaſionibus obligat. Verum ſatis crebro accidit, quod negativum in affirmativo continetur; exempli gratia præceptum, quo proximum amare jubemur, ſimul nos obligat, ne unquam illum oderimus.

Diſcrimé quod præcepta inter, & conſilia inter eſt.

Ubi de mandatis Dei ſermo eſt, omnino neceſſarium eſt illa cum conſiliis nequaquam confundere, ne veritate, quæ afferuntur, plus æquo exaggerentur. Diſcrimen autem facile dignoſci poteſt ex ſola terminorum ſignificatione; nemo enim adeo rudis eſt, & illiteratus, qui ſatis aperte non videat, præcipere, & ſuadere duo eſſe prorſus diverſa; qui enim præcipit, abſolute vult aliquid fieri, qui vero tantum ſuadet, integrum relinquit, ut illud vel fiat, vel omittatur; præterquamquod præcipit Deus; & quod tamquam abſolutum præceptum irrogat, minus perfectum, & facilius explendum, quam quod ſuadet ſimpliciter; conſilium vero longe majus habere meritum, longe majori premio eſſe donandum. Verum hæc tria ſunt, ex quibus cognoſcere facile poſſumus, utrum res aliqua præcepti ſit, vel ſolum conſilii. Primum eſt, cum Scriptura imperandi verbo utitur; hæc enim auctoritatis formula apertiſſimam ſignificat obediendi neceſſitatem. Alterum eſt, cum infernos ignes minitatur; hæc enim damnatio formalem legis prævaricationem indigitat. Tertium eſt, cum omnes abſolute, & indiſcriminatim aliquid facere jubentur, quia hæc nota eſt conſtantis, atque inevitabilis obligationis.

Dei lex ſatis aperte nobis explorata eſt quocũque in ſtatu ſimus.

Norunt omnes, ad hoc ut lex obliget eos, qui eidem ſubjecti ſunt, illis eſſe debere perſpectam, ita ut nulla prætexi poſſit ignorantia; injuſtum quippe foret aliquem punire, quod non obtemperaverit ſuperioris voluntati, quæ illi explorata eſſe non poterat. Hinc liquet, nulli vim eſſe legi obligandi, atque cogendi, niſi ſatis publicata fuerit, & legis publicationem ſaltem eſſe conditionem neceſſariam, ſine qua nullam habet poteſtatem. Quamobrem Deus, qui voluit ſibi a creaturis ſuis obtemperari, voluntates ſuas voluit homini quocumque in ſtatu eſſe compertas. In ſtatu naturæ naturalem legem in imis cordibus inſculpſit. Qua celebritate promulgari voluit legem veterem, quam populo ſuo tradidit; Evangelica vero in omnes terrarum plagas lata fuit, ibique hominibus prædicata; & barbaræ illæ nationes, quæ illam audire non potuerunt, pro vitæ norma legem habent naturalem, quam ignorare non poſſunt circa ſtupiditatem, quæ illos rationis impotes facit. Hac de cauſa omnes homines divinam legem generatim ſumptam obſervare tenentur.

Utrum fieri poſſit, quod aliquis invictam habeat naturalium præceptorum ignorantiam.

Ad quæſtionem hanc ſolvendam, naturalia hæc præcepta trifariam ſunt diſtinguenda; alia primitiva ſunt, & univerſalia, quorum cognitio educitur ex ſenſu, quem ipſa verba noſtræ offerunt menti, quale hoc eſt: *Alteri ne feceris, quod tibi non vis fieri*: alia ſunt non adeo late patientia, quæ immediate ex præcedentibus inferuntur, tanquam ex principiis ſuis concluſiones, qualia ſunt præcepta Decalogi: alia demum inferuntur quidem ex iiſdem primis principiis, ſed per illationes remotiores, obſcurioreſque, necnon per longas ratiocinationes. Quod pertinet ad primi generis præcepta, liquet, neminem, dummodo rationis uſum obtineat, illa poſſe ignorare, quoniam natura hæc alte in cordibus noſtris inſculpſit, quemadmodum dubitari non poteſt de hoc theoretico axiomate, quod totum majus eſt parte ſui. Quod ſpectat ad generis alterius mandata, communis, necnon Sancti Thomæ 2. 2. quæſt. 94. art. 4. & 6. ſententia eſt, poſſe aliquem, ſaltem ad breve tempus, invictam, & involuntariam eorum habere ignorantiam; non autem ad longum temporis intervallum; fieri enim minime poteſt, niſi vitium rationi offuderit tenebras, quo minus tandem ex principio, quod liquido patet, naturalis, ac neceſſaria illatio eruatur; exempli gratia, nemini contumeliam inferendam eſſe, bonum ullius non rapiendum, ubi innoteſcat alteri faciendum non eſſe, quod nobiſmet ab ullo fieri nollemus. Quoad tertii generis præcepta, facile, & paſſim videntur a quibuſdam invicte ignorari; nam ſine diſciplina, vel ſine magno mentis acumine difficile eſt videre illationes; omnes a primis principiis adeo remotas, & quæ nonniſi prolixis argumentationibus inferuntur.

De neceſſitate ſervandi præcepta Dei.

Nihil magis perſuadere poteſt obligationem Dei præcepta ſervandi, quam eorum obſervandorum neceſſitatem, ut ſalvi ſimus: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Matth. 19. Veritas hæc nunquam ſatis iterari dicendo poteſt; hodierna quippe etiam die non deſunt homines ita impii, & cæci, qui afferant, ſeu facilis ſit, ſeu difficilis Dei mandatorum obſervantia, hanc tamen ſaluti neceſſariam non eſſe: quod omnia chriſtianæ religionis principia, & fundamenta evertit. Et ſane, quamquam homo, antequam omnia legis opera adimpleat, poteſt juſtificari, & fieri bonus, cum antea impius eſſet; fieri tamen non poteſt, ut qui rationis habet uſum, relinquere poſſit impietatem ſuam, & juſtus fieri, niſi hoc affectus ſit animo, ut Dei mandata fideliter velit obſervare.

Dei præcepta non ſunt impoſſibilia.

Graviſſima illuſio illa eſt, quæ Hæreticis perſuadet, ſalutem aliquibus eſſe impoſſibilem, neque deeſſe mandata Dei, quæ obſervari non poſſunt. Satis liquet, paralyticum non poſſe in aciem deſcendere, neque mortuum ambulare, niſi alter quidem bonam valetudinem, alter vero vitam receperit. Ita proculdubio peccator, vel infidelis Dei legem nequit adimplere, niſi quidquam habeat præter infirmam naturam, ac liberum dumtaxat habeat arbitrium ſine ſubſidio. At ſi Deus præſto ſemper eſt, ut illi ſuam conferat gratiam, quemadmodum hanc nemini negat, cum ſaltem oratur, urgetur, quid in hoc impoſſibile invenitur? Quamborem cum Deus legem ſuam a nobis ſervari jubeat, inferendum eſt, illius obſervantiam non eſſe impoſſibilem, quod hæretici dicunt; quia juſtitia, & bonitas

bonitas Dei pati nequeunt aliquid a nobis exigi præter vires.

Dei lex humanis legibus præferenda.

Dei lex nullam cum humanis patitur comparationem; & ſtatim ac humanæ leges religioni adverſantur, ab illis vetuſtiori, æquiorique titulo diſpenſamur, quippe a Deo fluit, cui, antequam hominibus, obtemperare tenemur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, recentioribuſque concionatoribus loci hujus argumenti.

Nova lex veteri comparata ſuavis eſt.

SAnctus Petrus loquens de lege veteri illam jugum vocabat, non autem leve, & ſuave, quale eſt lex Jeſu Chriſti, ſed ita grave, ac oneroſum ajebat ille, ut neque patres noſtri, neque nos illud geſtare potuerimus. Nonnunquam veſtra auditur, o Fideles, querela de onerum veſtrorum multitudine, quid eſſet autem, ſi ſubjecti eſſetis omnibus illis cæremoniis, quas Moyſis lex tot veluti præcepta irrogabat, & quarum uſus in chriſtiana religione obſolevit? Quid de tot obſervantiis, ac variis exercitii diceretis? Per hæc domanda erat Judeorum indocilitas, atque omnes illi ſpiritus rudes, indomitique in officio, & obedientia erant continendi. Illud ſervitutis tempus erat, & Deus ſupremus, atque abſolutus rerum omnium dominus timore potius, quam amore populum ſuum moderabatur. Vos autem, quos in ſinu regni mei congregavi ſequitur Dominus, non flagelli metu, nec minis cogere volo, ut ad me revertamini, non ſeveritate, neque mandatorum numero coercere vos volo. Novam hanc vobis irrogans legem non tam vobis onus ingero, quam aufero abrogans legem illam, quam Moyſes ſervus meus in monte receperat; legem illam, cujus non minus multa erant officia, quam acerba eſſent ſupplicia. Illis quidem ſeverus eram judex: at vobis amantiſſimus ero pater: in illos totum imperium meum exercui, in vos omnem exercebo miſericordiam, legem meam ſeu breviorem, ſeu uberioris gratiæ effuſione efficiens faciliorem, *P. Girouſt in adventu de Divina legis obſervantia.*

Dei gratia facilem nobis efficit legem, & Præcepta, quæ, Deus nobis imponit.

Mirabile gratiæ effectus! Quo magis pro Deo facere cupimus, eo majores vires invenimus: quo durius videtur onus, quod injicitur, eo facilius geſtatur; etenim quo minus nobilmetipſis parcimus, eo liberalius in nos Deus ſuam gratiam effundit; & nihil eſt chriſtiana in vita auſterum adeo, quod gratia mulcere non poſſit. Verum eſt, Jeſu Chriſti legem omnium eſſe perfectiſſimam; ſed ideone difficillima eſt? Haud ita ſane; illi enim perfectionis apici, ad quem lex nos evocat, per gratiarum menſuram reſpondet, quæ auxilio nobis ſit, ut ad eum perveniamus. *Idem.*

Deus nequaquam ſuam vobis tradidit legem, ut illam negligeritis, quemadmodum vobis illius obſervantiam etiam atque etiam commendavit, ut illam remuneraretur. Supremus legislator, & Dominus perfectam exigere poterat obedientiam, quin alium nobis fructum polliceretur; quam ſupremo illius dominio debitum honorem adhibendi; & vos ipſi beneficiis ejus affecti voſmet mandatis illius ſubmittere deberetis ſine alia intentione, quam illi animi grati officium teſtandi. Novit ille quantum veſtra vos utilitas excitet; veſtrique tantum rationis habuit, quantum a Domino æque liberali, ac potenti expectare poteſtis. Omnes illius theſauri vobis aperti ſunt; omneſque theſauri illius veſtri ſunt, dummodo aliquam vobiſmet vim faciatis legem vobis traditam ſervaturi. *Idem.*

Dei lex ſarcina eſt recreans, non opprimens.

Dei lex libertatem noſtram non onerat, non obruit, vel infirmat: e contra illam perficit, & ſervat: quamobrem S. Jacobus Apoſtolus cap. 2. hanc Dei legem perfectæ libertatis legem appellat: *Qui perſpexerit in legem perfectam libertatis, & permanſerit in ea:* hoc eſt noſmet legis hujus jugo ſubmittentes experimur veritatem, quam nos docet Jeſus Chriſtus, videlicet, ut vere liberi ſimus, ſubeundum nobis eſſe jugum ipſius, quod leve eſt, & ſuave, & quod requiem confert animabus noſtris. Paradoxum cuipiam videbitur dicere, onus leve eſſe, & jugum libertatem, & requiem conferre; veritas tamen eſt, quam illi omnes fatentur, qui periculum facere voluerunt. Ecce fratres mei, S. Auguſtinus in Pſalm. 39. ait, quid intercedat diſcriminis inter Jeſu Chriſti, aliorumque, quicumque illi ſit, dominorum jugum: *Alia ſarcina premit te, Chriſti ſarcina ſublevat te, alia ſarcina pondus habet, Chriſti ſarcina pennas habet.* Alia pondera nos dejiciunt, & deprimunt: ſed onus Jeſu Chriſti, lex videlicet, quam nobis imponit, nos elevat, ac ſuſtinet; aliud quodlibet grave eſt, jugum, vero Jeſu Chriſti alas habet, & leve eſt: *Chriſti ſarcina pennas habet.* Si volucri alas aufers, illam exonerare quidem videris: attamen verum eſt, a te in eum redigi ſtatum; ubi ſeſe ultra attollere nequeat, ac ſe magis gravem ſentit, quam cum alas haberet. Redde illi onus, quod ademiſti, videlicet alas ejus, ac levior erit, & volabit: *reddas onus, & volat.* Tale jugum eſt legis Dei. Quemadmodum avis pennis exuta levior videtur, & nihilominus gravius habet pondus, quoniam de terra ſeſe attollere nequit, ſic anima, quæ divinæ legis jugum excuſſit, minus impedita videtur ea, quæ jugum ſubiit: attamen liquet illam magis depreſſam eſſe, aggravatam, ac terræ concupiſcentiis ſuis agglutinatam: e contra vero quæ fert jugum Jeſu Chriſti, proprio pondere attollitur. *Chriſti ſarcina pennas habet. P. Texier in Dominicali Sermone 7. poſt Pentecoſten.*

Peccatores, qui legis evangelicæ jugi excutiunt, affectionum ſuarum mancipia ſunt.

Voſmet decipitis, peccatores, cum idololatræ facti libertatis, vel potius licentiæ veſtræ, divinæ legis jugum excutitis, ac dicitis nequaquam futurum, ut ſerviatis: *confregiſtis jugum meum, & dixiſti non ſerviam.* Jerem. 2. Nulla creatura eſt, quæ a nemine pendeat: inviti ſervietis: niſi Deo ſervieritis, ſervietis diabolo; niſi vultis Jeſu Chriſti jugum ferre, jugum mundi vobis erit ferendum; niſi fueritis ſub lege gratiæ ſub peccati lege lugebitis. *An neſcitis,* Apoſtolus ad Rom. 6. inquit, *quia ſervi eſtis ejus, cui obeditis, ſive peccati ad mortem, ſive obeditionis ad juſtitiam?* Hoc utique ſcimus, atque ſentimus; & nullus peccator eſt ſuis affectionibus obſequens adeo, qui fateri non teneatur, ſe experientia doctum cognoſcere deplorabilem ſtatum, ad quem rediguntur, qui legem Dei derelinquunt. *Idem.*

Maledictiones, quæ in caput ſuum convertunt, qui Dei mandata prævaricantur.

Quemadmodum qui ambulant in via mandatorum Dei, ibi non ſolum veram gloriam, ſed etiam ſingulare Dei præſidium inveniunt in ſe, in familia, inque bonis ſuis, quæ benedictione cœleſti ſe cumulaturum Deus pollicetur: prorſus contra, niſi mendacii inſimulare velint Scripturam, fateri debent, habitualem Divinæ legis contemptum, & mandatorum ejus prævaricationem omnia maledictionum genera in caput eorum detrahere, qui hac in re peccaverint. Opus eſt, haſce juſtas Dei minas expleri. Si renuis obedire voci Domini, omnes haſce terribiles maledictiones in teipſum detorquebis. Maledictus eris in bonis tuis, maledictus in filiis, maledictus in agro, maledictus in urbe &c. *Maledicti, qui declinant a mandatis tuis* Pſalm. 118. *Idem.*

Qui Dei præcepta non ſervat, non habet charitatem, neque amorem Dei.

Ipſe Dei filius teſtatur eum, qui dicit ſe habere charitatem, mandata vero Dei non ſervat, nebulonem eſſe, atque mendacem: *Qui dicit ſe noſſe eum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt.* 1. Joann. 2. & Joann. cap. 14. *Si diligitis me, mandata mea ſervate.* Citra ſedulam hanc obedientiam, quæcumque bona opera agamus. Deus nos reſpicit tamquam rebelles, & inimicos. Perperam igitur hujuſmodi homines ſibi perſuadent, Deum coronaturum munera hominis inimici, ac recepturum vectigal quarumdam eleemoſynarum, jejuniorum, vel precum eorum, qui detrectant eidem præcipuum, quod poſcit, amoris videlicet, & cordis tributum perſolvere: quod quidem cor Dei eſſe non poteſt, niſi illi obediens ſit, & niſi legem, & mandata ejus cuſtodiat. *Idem.*

Pauci, uti debent, Dei mandata cuſtodiunt.

In lege Domini voluntas ejus Pſalm. 1. Hæc ſolida eſt devotio, quæ conſiſtit in ſancto conſilio mortem potius ſubeundi, quam legem Dei infringendi. Sed quam pauci ex nobis in hoc reperiuntur ſtatu, qui tamen ad ſalutem aſſequendam abſolutæ eſt neceſſitatis! Si rite cor noſtrum excuſſerimus, inveniemus profecto voluntatem noſtram in Dei lege non eſſe, ſed potius in lege affectionum noſtrarum, in lege carnis, & mundi. Lex Dei ultionem prohibet, mundi lex illam præcipit. Lex Dei mollitiem, adulterium, luxuriam vetat, lex carnis ad illam adigit, & impellit, qui ſequuntur eam. Lex Dei furto, ac fœnori interdicit; avarus, fœnerator publice, qui uſurariis contractibus, concuſſionibus, ſexcentiſque concuſſionum generibus viduæ, & pupilli eripis hæreditatem, ubi eſt voluntas tua? Dei lex crapulam, ebrietatem, libidinem damnat; ubi voluntas veſtra eſt, voluptuoſi, quibus non alius Deus eſt, quam venter, & qui ubique ſenſuum veſtrorum oblectamenta perquiritis? Sequimini hoc examen, ac invenietis. voluntatem veſtram nequaquam divinæ legis, ut opus eſſet, adhæreſcere; ſed miſere vanitatibus, pompis ſæculi deſideriis, & incompoſitis carnis affectionibus eſſe mancipatam. *Idem.*

Fallax ſpes peccatorum, qui jugiter Dei leges prævaricantur.

Mali chriſtiani non habent Dei legem ſcriptam in corde, & nunquam illam meditantur. Cum ſeipſos tantum diligant, Deum vero neque ament, nec metuant, jugiter divina præcepta perfringunt, quia in omnibus propriam quidem, non autem Dei voluntatem facere quærunt. Attamen liquet, non aliam in cœlum patere viam, quam mandatorum obſervantiam. Quæ cum ita ſint, neſcio quid cogitent tot Chriſtiani, quorum vita jugis eſt divinæ legis prævaricatio, jugiſque rebellio ſupremi legislatoris voluntati. Sperant nihilominus Deum ſecum miſericordem futurum, ac ſe aliquando converſum iri. Ita Dæmon illos reducit, ac illis illudit, atque ipſi ſibi blandiuntur, quin animadvertant, nullam ſperandam eſſe felicitatem illis, qui Dei mandata ſervare detrectant. *Moralis Chriſtiana, lib. 5. ſect. 2. art. 1.*

Chriſtiani præcipuum officium eſt Dei legem cognoſcere, & obſervare.

Præcipuum hominis chriſtiani officium eſt cognoſcere, retinere, amare, & diligenter adimplere Domini præcepta. Hic ſenſus erat Prophetæ cum Pſalm. 118. legis intelligentiam depoſcebat, vel cum dicebat illam non memoriæ tantum ipſius præſentem eſſe, verum etiam in ipſo corde inſculptam, ac demum cum fatebatur animam ſuam legis teſtimonia cuſtodiſſe, eaque vehementer dilexiſſe. Verum quis crederet non deeſſe Chriſtionos in Dei lege penitus rudes, eamque diſcere detrectantes, quia ſeſe eidem ſubmittere nolunt? Alios vero, qui adeo parum illam norunt, ut vix aliquando menti ſuæ præſentem habeant; plures etiam, qui eam non ſolum non amant, ſed oderunt, quia illos vim inferre jubet ſtudiis ſuis, quæ omnino ſequi volunt; plurimos vero, qui non ſolum legi divinæ non obediunt, ſed in aſſidua rebellione contra Dei mandata flagitioſiſſimam vitam traducunt? Unuſquiſque ſeipſum colligat, & excutiat, ut videat utrum Domini legem prorſus ignoret, vel utrum quotidie illam propriis luminibus aliter ſuadentibus perfringat; quidquid enim mali facimus, inde eſt, quod ea ignoramus, quæ ſcire debemus, vel quod bonum probantes a malo patrando nunquam ceſſamus. *Abbas de Monmorel Homil. in Evangelium Dominicæ Pentecoſtes.*

Aliqua Dei mandata obſervamus, infringimus alia.

Quin eam habemus charitatem, quæ in mandatorum Dei obſervantia conſiſtit, *hæc eſt charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus,* aliqua tantum adimplemus, reliqua vero infringimus, perinde ac unus prævaricatio nequaquam reos nos efficeret cæterorum, ſatis ſubjecti, ut Domino pareamus in iis, quæ affectibus noſtris non adverſantur; ſed proni ſemper ad rebellandum, ſi prædominatis in nobis affectus ille ſacrificium exquirat. Hac in re æque nocentes ſumus, ac Saul, qui a Domino juſſus Amalecitis bellum inferre, eoſque ad unum internecione delere, quin aliquem ex tanta clade ſupereſſe pateretur, pepercit Regi Amalecitarum, atque hac inobedientia in ſe Dei iram, & ultionem convertit. *Idem Sermone in Evangelium Dominica 17. poſt Pentecoſten.*

Mandata non niſi Deum non amantibus ſunt difficilia.

Dei lex difficilis nobis videtur? indicio eſt, a nobis eum parum amari. Dei lex in iis omnibus, quæ continet, dulcis, ac ſuavis eſt illi, cujus cor plenum eſt charitate. Amor, ait S. Joannes in 1. Ep. cap. 5. in hoc poſitus eſt, ut mandata illius cuſtodiamus, & mandata ejus gravia non ſunt, nec difficilia. Difficilia non ſunt amor ad illam obſervanda nos adigit: ſi vobis difficilia videntur, hoc inde accidit, quia cor veſtrum plenum eſt amore mundi, ac veſtrummetipſorum, Dei vero amore vacuum eſt. S. Auguſtinus Dominum hæc dicentem, & conquerentem inducit. Avaritia duriſſima quæque vobis imperat; videte, quid ipſe jubeam, & utrumque conferte. Imperat avaritia, ut maria navigetis, ut in ignotas abeatis plagas, ut voſmet ſexcentis periculis objiciatis, attamen avaritiæ obeditis, & omnes meas leges repellitis. Nonne turpe eſt, mundo plus eſſe auctoritatis, quam Deo? Cum loquitur Deus, quot & quam aſſidue objiciuntur difficultates; ſed quam majores quotidie ſuperantur, ut mundo placeamus? *Lambert in Sermonibus Eccleſiaſticis, Sermone 18. de obedientia.*

Dei mandata ex corde, & alacriter adimplenda ſunt.

Hoc generale principium eſt: in iis omnibus, quæ Deus jubet, ante cætera cor ipſum petit. Jubetne a vobis eleemoſynas erogari? erogari vult æquo, magnoque animo, ac ſe amare profitetur eum, qui alacriter illam erogaverit. Petitne Deus a vobis opera charitatis, externum cultum ſervitutis veſtræ teſtimonia? Profitetur, niſi hæc opera ex corde fuerint profecta, ſe vos reprobaturum cum hypocrita populum labiis tenus illum honorante, cum interim cor eorum procul abſit ab eo. Illi ergo Deo diſplicent, quos tedet ea facere, quæ urbanitatis ergo, vel alia quapiam de cauſa facere tenentur. Hi, uti opus eſt, non obediunt legibus Dei, quibus cum querela, mœrore, ac diffidentia obtemperant. Hic erat Judaici populi defectus, qui toties Deum queſtubus ſuis, ac obmurmurationibus irritavit. Dominum audio hac de re conquerentem: *Uſquequo multitudo hæc peſſima murmurat contra me?* Num. 14. Quomodo autem populus iſte percuſſus fuerit, & quam ſeveritatem in illos Deus exercuerit, jam noſtris. *Idem.*

Utile eſt ad populum verba facere de mandatorũ Dei obſervãtia.

Aliquis primo quidem intuitu dicere poſſet; verba facere de mandatorum Dei obſervantia argumentum eſſe, quod, qui maxime rudes, ſimpliceſque ſunt, optime norunt, & idem eſſe, ac in iis, quæ pueris tradenda ſunt, terere tempus. Utinam, Auditores, iterum dico, utinam, quemadmodum hæc prima ſunt chriſtianæ religionis rudimenta, prima quoque eſſent hominis chriſtiani exercitia! Omnes quidem mandata ad litteram didicerunt, at pauci eorum ſpiritum aſſecuti ſunt: omnes decem præcepta Dei tenent, at non omnes ad unguem ſciunt, in quo poſita ſint, & quænam ſint eſſentiales ad illa rite ſervanda conditiones; & quemadmodum ab illis pendet ſalus, ita non alterum majoris momenti afferri poteſt argumentum. *Ex Manuſcr. ſerm.*

Dei mandatis obtemperandum eſt, quin ratio eorum quæratur.

Non deſunt humanæ leges, quas principes in ſubditos exercent ſuos, nec deſunt divinæ, quas populis omnibus Deus irrogavit; verum hoc diſcriminis intereſt, in humanis legibus homini nonnumquam jus eſſe quærendi, cur hæc, vel illi præcipiantur, quod quidem in divinis non eſt. Sin autem diſcriminis rationem quæritis, ſcitote eſſe legislatorum diſcrimen. Humana quippe lex imperfectioni, & inconſtantiæ patet, ſed leges divinæ ſemper conſtantes ſunt, atque perfectæ. Humana lex imperfectioni eſt obnoxia, & ſæpe videmus principis legem veritatis locum obtinere, & ſæpe legem impiam cum divinæ legis præjudicio ſubſiſtere. In hac autem occaſione Chriſtianus non poteſt ſolum cauſam inquirere, propter quam lata fuit, & contra eamdem inſurgere; ſed ſeſe eidem ſubmittere etiam debet, ac potius vitam ſuam in diſcrimen adducere, quam injuſtæ legislatoris voluntati parere. *Idem.*

Omnes Dei leges juſtæ ſunt.

Si ex regio Propheta quæro, quid ſint leges Dei, mihi reſpondebit: *Omnia mandata tua æquitas;* Pſalm. 118. ſed talis, tantaque æquitas, ut ſit norma virorum omnium, qui eſſe volunt innocentes; ſed talis, tantaque, ut homo nunquam perfectus eſſe poſſit, niſi quatenus ad illam propius accedere poteſt, ac ſe illi conformare: æquitas adeo admirabilis, ut Deus ipſe non aliam habeat providentiæ ſuæ regulam; quia ipſa æquitas eſt, ac prima regula eorum, quæ recta, juſtaque ſunt. Cum teſtetur Deus in mandatis ſuis nihil eſſe, niſi ſanctitatem, atque juſtitiam, nonne illa ſequi opus eſt, ac pro vitæ noſtræ regula accipere? *Idem.*

Non patitur Deus, ut de Præceptorũ ſuorum ſanctitate ambigatur.

S. Auguſtinus adverſarium ſibi fingit objicientem injuſtitiam eam, quæ alicui videri poteſt extitiſſe in præcepto, quod Deus Adæ irrogavit. Erat, inquit impius memorato objiciens mandato; erat in paradiſo terreſtri arbor. Arbor hæc vel bona erat, vel mala; ſi primum, cur prohibebat Deus, ne Adam de illius fructu comederet? Sin alterum; cur illa erat in paradiſo? *Si arbor bona eſt, quare non tango? Si mala, quid facit in paradiſo?* Arbor hæc, frater, bona erat, ſed ex ea veſci nefas erat, reddit S. Auguſtinus. *Te obedientem volo:* tibi obediendum eſt, ita omnibus quæſtionibus noſtris hac in re Dominus reſpondet. *Te obedientem volo.* Ego ſum omnia, tu nihil: ego ſupremus rerum Dominus, tu creatura mera. *Deus ſum, & tu fumus.* Hæ ſunt rationes omnes, quæ in chriſtiana religione reddendæ ſunt: Deus Dominus eſt, tu autem ſervus. Dicit Deus: volo; tibi vero, Tertullianus ait, non alia ratio ex Deo quærenda eſt: *Quid vis? Deus præcepit;* cede imperanti Deo, cede loquenti, ac volenti nullam ex ſe cauſam requiri, quemadmodum nullam ipſe cuiquam reddere conſuevit: *Sit pro ratione voluntas. Idem.*

Nobis curioſitate non eſt opus poſt Chriſtum, nec inquiſitione poſt Evangelium, Tertullianus ait; ex quo Dei lex locuta eſt, nemini licet altiquid ultra quærere, percontari, interrogare, quia homo Deus hanc nobis legem impoſuit. Et profecto in omnibus quæſtionibus naturalibus ſive morum, ſive juris aliquidne ultra primum principium eſſe poteſt? Hoc autem primum principium voluntas Dei eſt; hæc igitur poſtrema ratio eſt, & prima regula, & nihil ultra quærendum eſt. In politicis, cum princeps edictum aliquod protulit, ac in ima cera ſignatum eſt hanc principis eſſe voluntatem, obtemperandum eſt, & ratio voluntas ejus eſt. *Idem.*

Auctoritas Dei qui legis eſt auctor, nos ad eam ſervandã cogit.

Prima, & potentiſſima ratio, quæ nos Dei legem, ac præcepta ſervare cogat, eſt, cogitare Deum ipſius auctorem eſſe: nam quanquam ſecundum Apoſtoli teſtimonium lex vetus per Angelos fuerit lata, dubitari nequit, quominus ipſe Deus ſit auctor ejuſdem; non enim ſolum verba legislatoris apertiſſime hanc probant veritatem, ſed infinito ferme Scripturæ locorum numero confirmatur. Sed præterea nemo eſt, qui in ſeipſo non experiatur, in corde ſuo a Deo inſculptam

fuiſſe legem ſecretam, quæ efficit, ut quæ bona ab iis, quæ ſunt mala, ſecernat; honeſta ab inhoneſtis, juſta ab injuſtis dijudicet. Quemadmodum ergo lex iſta, ſuapte natura, nulla in re differt ab ea, quæ ſcripta fuit, ambigi nequit, quominus Deus ſcriptæ hujus legis ſit auctor, quemadmodum auctor eſt legis naturalis. *Ex Tridentini Concilii Catechiſmo de Decalogo.*

Juvabit tamen plurimum, & ad perſuadendum magnum debebit momentum illa cogitatio, Deum eſſe, qui legem tulit, de cujus ſapientia, & æquitate dubitare non poſſumus, neque ejus infinitam vim, atque potentiam effugere. Quare cum per Prophetam Deus juberet ſervari legem, dicebat ſe Dominum Deum eſſe, & in ipſo Decalogi exordio, *Ego ſum Dominus Deus tuus*: Exodi 20. alibi: *Si Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus?* Malach. 1. *Idem.*

Deus hominibus legem irrogans ſuæ miſericordiæ, & bonitatis magnitudinē oſtendit.

Ne id quidem ſilentium prætereundum eſt, vel in hoc maxime Deum ſuam in nos clementiam; & ſummæ bonitatis divitias oſtendiſſe, quod cum ſine ullo præmio nos potuiſſent, ut ſuæ gloriæ ſerviremus, cogere, voluit tamen gloriam ſuam cum utilitate noſtra conjungere, ut quod homini utile, idem Deo eſſet glorioſum: quod & per Prophetam dictum eſt, in Dei mandatis cuſtodiendis multam eſſe retributionem. Non enim illæ tantum nobis benedictiones promiſſæ ſunt, quæ ad terrenam felicitatem magis ſpectare videbantur, ut benedicti ſimus in civitate, & benedicti in agro; ſed copioſa merces in cœlis, & menſura bona, conferta, coagitata, & ſupereffluens propoſita eſt, quam piis, & juſtis actionibus meremur, divinæ miſericordiæ adjumento. *Idem.*

Homo libere parere debet Deo.

Inter hominis creationem, ac reliquarum rerum productionem hoc diſcriminis intereſſe Tertullianus animadvertit; reliqua creata imperii voce facta fuiſſe, *fiat*, ut oſtenderentur hæc ex ipſa creationis ſuæ forma creationis ſuæ gerere characterem; ſed hominem propriis manibus effinxit Deus, quin aliquo imperioſo verbo uteretur, ut oſtenderetur libertas, quam ille in ſemetipſo habebat, ac dominationem, quam in reliqua creata erat habiturus. At ſi Deus hoc imperio uſus non eſt hominem creans, poſtquam hunc creavit, eodem eſt uſus; utque illius probaret fidelitatem, vetuit, ne ex vitæ fructu comederet. Quare ſignificare voluit ideo ſuam illi libertatem, imperiumque conceſſiſſe, ut glorioſius divinis legibus obediret. *Biroat in S. Mauri Panegyrico.*

Creaturæ ſenſu carentes obediunt Deo.

Vidiſtiſne iratum, & ab imis ſedibus convulſum mare, quod fluctus ſuos in littus allidit, ac ex aqua ſimul, & terra unicum dumtaxat elementum facere velle videtur? Attamen perinde ac in littore Dei legem ſcriptam videret, ipſumque ſuæ pœniteret audaciæ, atque temeritatis, recedit, & ne uno quidem gradu fines ſibi a Deo præſcriptos prætergreditur: *Ut divinas leges*, Tertullianus ait, *tanto magis homo cuſtodiret, quanto etiam illas elementa ſervaſſent.* Heu? cur ex hoc exemplo non diſcimus obedire Deo, cum hoc elementum, licet ſenſu careat, tanta celeritate illius mandatis obediat? *Tempeſtates*, S. Hieronymus, inquit, *verbum Dei faciunt, & tu non facis?* Procellæ parent Deo, ac licet totum æſtuet mare, in loco, quem Deus illis indigitavit, ſubſidunt, elementa omnia, ut Propheta Pſ. 110. ait, ſedula obedientia illius mandata capeſſunt: *Exquiſita in omnes voluntates ejus*; & homo ſolus, qui præ cæteris Deo magis obedire tenetur, illius juſſa facere detrectet? Mare furoris ſui frangit impetum, & homo cordis ſui impetum cohibere non poterit! Elementa ſibimet vim inferunt, ut Creatoris ſui mandata exequantur; & homo non movetur elata hac voce, qua univerſa moventur! *Reina Serm.* 3.

Mandata Dei juſta, funt & rationi conformia.

S. Chryſoſtomus ſcite animadvertit, in Decalogo, quem Deus populo ſuo dedit, nulla afferre rationem eorum, quæ vel jubentur, vel prohibentur; adulterium, & cædem prohibens non addit, quia hæc magna ſunt mala; parentum honorem, & amorem præcipiens, non ait, quia æquum eſt eos diligere, quibus vitam debemus. Deus has omnes rationes jam in hominis corde poſuerat; & propria ejus conſcientia interiori luminæ præveniebat, quidquid illi dici potuiſſet ad æquitatem præceptorum interdictorumque probandam: *Quoniam præveniens conſcientia hæc omnia nos docuit. Maſcaron in quadam funebri oratione.*

Omnia Dei mandata ſervanda ſunt.

Quænam habenda eſt idea eorum mortalium, quorum vita bonis, maliſque permixta eſt, & qui ſibi blandiuntur mala excuſari penſarique bonis, quæ faciunt? Etenim licet unius tantum noxæ rei eſſent, & cæterum omnem Dei legem ſervarent, hæc una neglecta lex majorem habebit coram Deo vim, quam omnes virtutes, omniaque opera bona. Tantum enim abeſt, quod ea, quæ faciunt bona, eorum excuſent peccata, uti e contra peccata eorum, quamvis unum eſſet tantummodo, vitiant, atque corrumpunt omne bonum, quod faciunt; & de peccato hoc dici poteſt, quod olim de veteri Imperatore dictum fuit, qui ſapientem enecavit virum, eo quod ab illo monitus fuerat, ne divinos ſibi honores adhiberi vel exigeret, vel pateretur. Factum hoc æternum Alexandri crimen appellat, quia hoc reliquis factis omnibus objicietur, atque triumphorum illius celebritati æternam caliginem effundet: *Crimen æternum Alexandri, quod nulla bellorum felicitas redimit.* Dicis nihil hoc juvene humanius, nihil liberalius, nihil magnificentius, at patet impudicam habere conſuetudinem; nihil devotius hac muliere, frequens adit xenodochia, & inviſit carceres, attamen paulo effuſior eſt in detractionem, nec ſe corrigit umquam: dicis magiſtratum hunc hominem eſſe frugi, probitatis & integritatis non contemnendæ, necnon ad unguem quibuſcumque jus dicere: omnia huc uſque bene procedunt; verum non dicis, illum iis, a quibus hæſum eſt, injuriam non dimittere. Nihil ultra requiritur, ut quodcumque facit bonum, inutile fiat: Non ſatis eſt præceptum aliquod ſervare, omnia ſervanda ſunt. *Specimen Ethnicum.*

Qui præ cæteris præſtat, facilius quam alii legem infringunt.

Dolens Jeremias Propheta, quod in populo Jeruſalem nemo inveniretur, qui non impune Dei legem perfringeret, cum ibi injuſtos magiſtratus, mercatores fœnori addictos, pauperes quoque impatientes, ac invidos comperiſſet, decrevit tandem regni principes viros, & optimates adire ratus proculdubio futurum, ut quo plura a Deo receperant, eo magis præceptis illius obſequerentur: *Ibo ad optimates.* Sed heu! quam longe ſua illum fefellit ſpes! *Et ecce hi magis confregerunt jugum.* Jer. 5. invenit quippe illos majori licentia jugum excuſſiſſe. Vereor equidem, ne apud viros principes eam quærens obedientiam divinis, eccleſiaſticiſque præceptis, quam in plebe non invenio, ibi longe minus ipſam reperiam; putant enim non extremum conditionis ſuæ privilegium hoc eſſe, quo ſuper leges omnes conſtituuntur; & quidquid illorum circumſcribit libertatem, vel illis vim infert, conatum eſſe, quo generi, loco, & poteſtati ſuæ officitur. Populus, qui parum audet, nonniſi contremiſcens ſæpe a lege recedit; ſed nobiles cum nulla re cohibeantur, audacter omnia vincula infringunt, quibus religio eorum cohibere vellet affectiones, eorumque concupiſcentiam ad officium revocare: *Repetunt vincula. Fromentieres Sermone de Purificatione.*

Minæ, quas in Scripturis intentat Deus prævaricatoribus Legis.

Audite, Fideles, ac infrendite; audite minas terribiles, quas in Levitico intentat Deus prævaricatoribus legis, atque in temporalibus pœnis, quas minatur Deus Judæis infidelibus, qui ipſius mandata perfregerint, intuemini imaginem æternorum ſuppliciorum, quæ præparat, vobis, ſi eorum ingratitudinem, ac inobedientiam imitati fueritis. Niſi audieritis me, dicit Dominus, ſi judicia mea contempſeritis, ſi irritum feceritis pactum, quod cum vobis percutio, immittam in agros ſiccitatem, quæ ſemina veſtra comburent, & exercitus, qui meſſes veſtras populabuntur; tradam vos in manus hoſtium veſtrorum, & nemine perſequente fugietis. Dabo vobis cœlum ferreum, ac terram æneam, arva complebo inſectis, quæ labores veſtros inutiles, & agros deſertos efficient. Niſi univerſa hæc ſupplicia vos ad frugem revocaverint, educam ſuper vos gladium vindicem fœderis, quod perfregiſtis: immittam in urbes veſtras peſtem, & bellum, quæ eas miſere vaſtabunt; excitabo adverſum vos furorem illi oppoſitum, qui contra me vos attollat; ſynagogas, & templa veſtra ſubvertam. Eritis cordis meo abominationis objectum, & efficiam vos opprobrium univerſarum gentium, voſque projiciam in ventum tanquam pulverem in omnes terrarum plagas, in quas diſpergemini. Ita loquitur Deus exercituum contra violatores æterni fœderis, quod olim percuſſit cum populo ſuo, & quod cum Chriſtianis inſtauravit. Terribilia hæc verba, quæ omnem ferme vim in meis labiis amittunt, ſatis adhuc vitium habent, ut tranſgreſſoribus mandatorum Dei illa oſtendant ſupplicia, quæ præſtolari debent, per ea, quæ illorum nonniſi figura ſunt. *Specimen orationum Panegyricarum tom. 2. Sermone pro die Purificationis.*

Dei mandata ſunt juſta.

Deus, qui nihil niſi veritatem docet, nihil, niſi quod juſtum, bonumque eſt, præcipit, ſi nobis imperat, ut Deum diligamus, aliquidne juſtius fingi poteſt? Nonne maxima hominis felicitas eſt poſſe diligere Deum? Si præcipit, ut proximum diligamus, nonne æquum eſt, fratrem amari? Si ultionem proſcribit, nonne jure hoc agit? Membra myſtici corporis Jeſu Chriſti inter ſe minorem haberene debent charitatem, quam naturalis corporis membra? Nunquid dexterum lævo brachium vulnus infligeret? Manus, quam altera vulnere cruentaſſet, ex hac ultionem repoſceret? Denique

malum

malum nobis interdicens Deus, bonum vero præcipiens, æquiora poteſt nobis præcepta irrogare? At enim inimico parcere, benefacere illis, qui de nobis peſſime fuerunt meriti, repugnat natura: ſi bene inimico parcere, benefacere illis, qui de nobis peſſime fuerunt meriti, repugnat natura: ſi bene inſtituta eſſet natura, næ illa quidem repugnaret, quod peccati tantummodo effectus eſt. Non hæſit Abraham, præcipiente Domino, ut ſibi unigenitum ſacrificaret: paruit ſine repugnantia, ſine murmure, ſine querela; ſciebat enim Deus in iis omnibus, quæ præcipit, juſtum eſſe. Verum quam beatitudinem, quam felicitatem pollicetur illis, qui ſibi fideles extiterint? *In eodem ſpecimine pro 2. Dominica poſt Paſcha.*

Deus nobis mandata irrogans, & gloriæ ſuæ, & noſtræ proſpicit felicitati.

Legitimum, ac inevitabile tributum, quod Deo reddere debeamus, fidelis eſt legis ipſius obſervantia: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* In hoc reperit Deus duplicem finem, quem ſibi propoſuit in creatione eorum, qui rationis compotes illum cognoſcere, illis ſervire, eumque colere poſſent: illius quippe intentio fuit eos beatos efficere, atque ſimul ex illis exteriorem gloriam ſibi comparare, quæ quin aliquid addat eſſentiali felicitati, quæ in eo reperitur, non ideo minus eam efficit perfectiorem. Deus hic magnitudinis, & majeſtatis ſeſe totum in animam fidelem effundit per gratiæ ſuæ effuſionem, & homines, qui objectum ſunt, quod Deus amat, & in quo complacet ſibi, ſunt fideles obſervatores legis, qui, quoad poſſunt, ſubmiſſionis, & obedientiæ tributum ei reddunt: qui pro illo impendunt, quidquid ab illo acceperunt, & qui in ejus cultum omnia bona tranſmittunt, quæ per liberalitatem ejus conſecuti ſunt. *Ibidem pro Dominica 2. poſt Pentecoſten.*

Nunquam liberiores ſumus, quam Deo obtemperamus.

Fallitur, qui putat ſe libertatis jacturam facere, cum ſeſe Deo ſubmittit illius ſervans mandata. Facile probari poteſt, hominis voluntatem numquam magis liberam eſſe, quam cum divinæ paret voluntati: *Voluntas nunquam eſt magis libera, quam cum eſt magis ancilla*, S. Auguſtinus ait. In natura res nunquam in ſuaviori ſunt ſtatu, quam cum in ordine ſunt. Corpus nunquam magis tranquillum eſt, quam cum animæ imperio ſubjectum eſt; hic enim corporis ordo eſt, ut ſit animæ inferior; & ſtatim ac ab hoc ordine recedere voluerit, non erit amplius liber, ſed in ſtatu erit violento. Ita anima nunquam magis tranquilla eſt, quam cum paret Deo; hic enim eſt animæ ordo, ut ſit Deo ſubjecta, & ſi inquietum refugit, ac horret ſtatum, nunquam ab officio diſcedat, inviolabili nexu divinæ legis obſervationi inhærens. *Voluntas noſtra vaga, inſtabilis, inquieta*, S. Proſper ait; neque poteſt quieſcere, & frui tranquillitate niſi per legem Dei, quæ illam in ordine continet. Quid eſt in mundo hominem in libertatem accerſere? Nonne illum de carcere educere, & de captivitate liberare? Hoc agit Dei lex; peccatorem liberat de captivitate, in qua ſuæ illum detinent affectiones. *Ibidem pro feria 4. hebdomadæ tertiæ in Quadrageſima.*

Deo rebus in omnibus obtemperandum eſt.

Nimis delicata obedientia eſt, in iis tantum obedire velle, quæ nobis arrident, & illa relinquere, quæ non admodum placent. Servi, quales ipſi ſumus omnes coram Deo, hoc ſibi arrogare non debent, ut Domini ſui præcepta diſtinguant; neque ipſi domi noſtræ pateremur famulos hoc pacto operantes: dici enim poſſunt, ubi ſeipſos dividant voluntatem noſtram facturi, ſuam tantum, non autem noſtram perficere. Si nos ergo, qui nihil ſumus, volumus fieri, quæcunque jubemus, quam profundam Deo obedientiam debemus? Hoc nos docuit Abraham exemplo, ex quo diſcimus nihil negandum eſſe Deo eorum omnium, quæ petit a nobis, ita ut in ſingula momenta præſto ſimus reddendis iis, quæ ab ipſo accepimus; nunquam de promiſſionum illius ſoliditate diffidamus, quamquam ea nobis imperat, quæ iiſdem adverſari videntur; & nunquam datori Deo bona ab ipſo nobis conceſſa præferamus. *Liber, cui titulus: Vita Sanctorum veteris teſtamenti. In vita Abraham.*

De lege naturali, deque invicta ignorantia.

Si ratio Adæ innocentia naufragium fecit, & ſi humana mens cognitione deſtituta eſt, nocentior non eſt, quam bruta animantia cæcum inſtinctum ſequentia. Si homo in corde ſuo ſcriptam non invenit legem, nocens eſſe non poteſt, eo quod illam perfregerit, eumque pleno jure invicta abſolvit ignorantia. Sed quanquam homo originis ſuæ puritatem fœdarit, tamen peccatum non omnia delevit præcepta, quæ Deus in anima ejus inſculpſerat, neque omnino naturale ejus lumen extinxit. Iis autem cognitionibus, quæ per Adæ peccatum non perire, accenſetur exiſtentia Dei, quam ſolus univerſorum adſpectus nobis offert, animæ immortalitas, veritas futurarum pœnarum, atque remunerationum; ideoque Ethnicis, quibus evangelii lux non affulſit, non alia imputari crimina poſſunt, quam quæ contra hæc prima principia committunt, in quibus invicta ignorantia illos excuſare non poteſt. *Ex tractatu de Conſcientia.*

De jugo, & mandatis filii Dei.

Dei filius, qui præcepta, legeſque ſuas jugum vocat, ſimul etiam illud leve eſſe teſtatur. Ne contemnas ſalutis tuæ curam, quaſi facile eſſet illius poſſeſſionem acquirere, ut enim ad illam pervenias, jugum tibi ſubeundum eſt. Verum ne te difficultates deterreant, quaſi inſuperabile eſſent; hoc enim jugum eſt leve. Gratia, quæ animam regenerat, efficit præcepta ſuavia, & facilia; & quemadmodum vapores, & exhalationes quantumvis graves facile ad mediam aeris regionem elevantur, ubi ſole attrahuntur, craſſioribus dumtaxat partibus relabentibus; ita affectiones, quas Spiritus ſanctus animat, ad cœlum ſe attollunt, & adhærent, Deo; gratia quotidie vires noſtras collabentes reſtaurat, & quemadmodum dæmon inceſſanter nova ſuggerit peccati inſtrumenta, Dei ſpiritus & ipſe nova ſuppeditat auxilia, quæ animam ſuſtinent, eamque victricem efficiunt. *Ex tractatu eodem.*

Peccatum non committuntur niſi divinarum legum prævaricatione.

In quovis peccato non deeſt rebellio contra Deum: ruperunt vincula mea, dicebat ille loquens ad Iſraelitas. Rebellis non ſemper de ſolio principem deturbare ſe velle profitetur: ſuum celat conſilium, ac facinus nimis odioſum legit; ſed cum leges illius perfringit, arma, & ſimulacra ejus conterit, & quin debitum illi adhibeat honorem, ſub hoſtium vexillum meretur ſtipendia, tunc manifeſta rebellio eſt. Quid autem peccator? Pedibus Dei leges obterit; illius diſcerpit, vel delet imaginem, impune leges infringit, quibus obedire detrectat ſui ipſius, ſuarumque actionum dominus eſſe volens. *Ibidem.*

De gravibus mundi legibus, & levi Salvatoris jugo.

Ehu! quam dura, ac moleſta exigunt a nobis mundi, Sathanæ; & affectuum noſtrorum leges, magis quam leges Dei? Quanto gravius, duriuſque jugum eſt, quod crudeles hi domini nobis injiciunt, præ ſuavi jugo Salvatoris? Videte, quid olim dæmon exquiſiverit ab idolorum cultoribus in deteſtabili cultu, quem ſibi adhiberi jubebat. Juſſit illos propriorum filiorum ſanguine ſibi litare, & innocentum victimarum cruore ſuas aras inficere, vel eos tradere ſacerdotibus, qui inhumanitate tigrides ſuperabant, ac patribus inſpectantibus parvulorum corpora in flammas projiciebant. Attamen quanta celeritate, quam cæca obedientia reges ipſi barbaras haſce leges ſervarunt, quamvis ipſa reluctabatur natura? In populis, qui verum coluere Deum, unquamne viſa fuit divinis legibus obedientia huic ſimilis, quam infideles adeo ſævis, tyranniciſque legibus præſtiterunt? Videte etiam, quid oneris mundus injiciat illis, qui leges ipſius ſequi profitentur. Quot pœnas, ſollicitudines, anguſtias gignunt? Quot tumultus, ac ſuſpiciones? Quam vim inferunt, quantum afferunt acerbitatis? Quoties propriis ſenſibus obniti, atque ſecretiſſimis ſtudiis ſuis adverſari coguntur? Quot periculis ſeſe objicere debent, quot vigiliis, & languoribus fatigantur? Quot injurias, atque repulſas perferunt, ut principis alicujus viri gratiam vel aucupentur, vel non amittant? Attamen qua animi alacritate legibus adeo duris obſequuntur? Quo ardore moleſtiſſima quælibet onera ab illis impoſita ſubeuntur? Nunquid ut ſeſe ab illis deſpenſent mortales, imbecillitatem, ac infirmitatem ſuam prætexunt, quod facere conſueverant in iis, quæ Dei lex ipſa præſcribit, cum paulo amara videntur? Denique videte, quantam in nobis vim habeant tyrannicæ leges affectuum noſtrorum: quid illi poſtulant, quod eorum mancipia ſumma celeritate non exequantur? Nonne quotidie ambitioni, avaritiæ, prophano amori dicitur: *Quid me vis facere?* Actor. 9. Num ſacerrimæ, rationis, ac naturæ leges, conculcandæ ſunt? Num cæde, & ſanguine patria replenda eſt; vita, & libertas in ſexcenta pericula objicienda, difficillima quæque aggredienda, & acerbiſſima toleranda? dummodo affectuum, qui dominantur in nobis, ſatisfiat deſideriis, non pœnæ, non pericula metuuntur. Bone Deus! Quam præpoſtera perturbatio! Quæ rerum inverſio! ſiccine minus tuæ, quam tyrannorum omnium auctoritati obtemperatur! *De la Font: in Eccleſiaſticis diſcurſibus pro Quadrageſima.*

Quilibet peccator Dei leges infringit.

Quid agit peccator, dum peccat? vult ſe gratiæ jugo ſubtrahere, ut ſe naturæ jugo ſubmittat; mundi placitis, legibuſque adhæret; unde fit, quod ſupremi Legislatoris leges detrectet. Obſequens affectioni, quæ in ipſo dominatur, excutit jugum Omnipotentis: Dei ſui legi rebellis illam pro libidine interpretari conatur, ſibimet accommodat, atque in rem ſuam vertit: apertius loquamur: illam abjicit, contemnit, impugnat, evertit: *diſſipaverunt legem tuam.* Mundanus

danus

danus ait, nequeo memet tot officiis onerofis, atque moleſtis objicere: eam vero viam arripiam, qua cum mundo componere poſſim, &c. *Ex Manuſcripto Sermone.*

Nova lex eadem ferme a nobis exigit, quod lex vetus.

Supponendum eſt novam legem a nobis exigere, quibuſdam tantum cæremoniis exceptis, quibus recentes aliæ ſubrogatæ ſunt, eadem ferme, quæ vetus a ſectatoribus ſuis requirebat; nam Jeſus Chriſtus explicite ait ſe non veniſſe, ut illam abrogaret, ſed ut adimpleret, & quicumque minima etiam illius præcepta ad unguem non obſervaverit, regni cœleſtis participem non futurum. Itaque non propter diſpenſationem præceptorum nova lex differt a veteri, ſed propter eorumdem extenſionem, atque perfectionem. *P. Aurelianenſis de ſeveritate Evangelii.*

Diſcrimen inter veterem legem, & novam.

Lex iſta evangelica ne minimam quidem patitur relaxationem contra ea, quæ præcipit: immutabilis æque ac auctor ipſius hominum interpretatione non flectitur: neque vel traditiones, vel conſuetudines contra illam præſcribere poſſunt. Lex Moyſis quibuſdam in rebus Judaici populi ceſſerat infirmitati, ac ipſe Deus legislatoris indulgentiam ratam fecerat. Lex Jeſu Chriſti non cedit. Incontinentia ſæpe ſuos conatus exeruit uſum libelli conſecutura: eccleſia vero ſemper adverſata eſt. Doctores nonnumquam mitiores invexere ſententias, ut tepidorum infirmitatibus, ac interpretationibus legis, quæ humanis favebant affectionibus, indulgerent: eos tamen ſemper repulit Eccleſia, utque legem interpretaretur, ipſam legem ſemper unice conſulit. *Idem.*

In lege veteri non defuere Sancti viri, qui magnas exercuere virtutes, ſibique vim fecerunt.

Cum dicebat Jeſus Chriſtus poſt Joannis Baptiſtæ tempus, regnum cœlorum vim pati, & eos tantum, qui ſibimet vim faciunt, ſperare poſſe, illuc ſe perventuros, noluit ideo affirmare, eos, qui in lege vivebant veteri, atque S. Joannis Baptiſtæ dies, non debuiſſe æque ac nos ſibi vim facere, ut ſuæ ſaluti proſpicerent. Ante Joannis Baptiſtæ tempora oportuit, ut hodierna die, ſibi vim facere, ut contra concupiſcentiam, atque affectus lex ſervaretur: etenim ante Joannis Baptiſtæ tempora in hominis corde fuere & deſideria cohibenda, & ambitio regenda, & illiciti amores ſuffocandi, & aſpera odia extinguenda. Ante Joannis Baptiſtæ dies Abraham amorem, patriumque ſuperans ſenſum ſibimet vim attulit, ut unigeniti ſui morti aſſenſum præberet, utque acerbiſſimi ſacrificii fieret ſacerdos. Ante Joannis Baptiſtæ dies voluptatis victor Joſeph ſibi vim fecit, ut ut impudicæ dominæ illecebris, ac ſollicitationibus reſiſteret. Ante Joannis Baptiſtæ dies Moyſes, ut oſtenderet ſe verum Iſraelitam, ſibi vim tulit, ut abjiceret coronam, quæ ſibi offerebatur, & quam præ manibus habebat. Cum igitur Salvator dicebat poſt Joannis Baptiſtæ dies, regnum cœlorum vim pati, innuere volebat, ut in religione poſt Joannis Baptiſtæ dies aliquis ſalvus fieret, opus eſſe, ut quilibet paratus eſſet majorem ſibimet vim inferendo ea, quam veteres ſibi attulerant. *Idem.*

Sæpe Dei legẽ inſpicere, & meditari oportet, ut defectus noſtros detegamus.

Sanctus Jacobus nos admonet, non eos, qui ſolum Dei legem audiverint, ſed qui illam etiam adimpleverint, eſſe juſtificandos. Ideoque addit eos, qui audiunt illam, neque obſervant, ſimiles eſſe homini prætereunti, ac ſeſe in ſpeculo reſpicienti, quin faciei ſuæ labes conſideret: innuens per hæc verba, Dei legem eſſe debere ſpeculum, in quo nos debemus inſpicere non obiter quidem, & oſcitanter, ut ſtatim obliviſcamur, quod ſumus; ſed mulierum inſtar ante oculos fere ſemper ſpeculum habentium, atque illud in ſingula fere momenta conſulentium. Eaque ratio eſt, S. Gregorius Homil. 17. in Evangel. ait, propter quam imperavit Moyſes, ut magnum illud vas aqua plenum, quod in aditu Tabernaculi eſſe debebat, ubi ſacerdotes illuc ingreſſuri ſe abluerent, ex æneis ſpeculis conficeretur, quibus utebantur fœminæ, quæ ad oſtium Tabernaculi morabantur; ut illi ſeſe abluentes ibi ſe reſpicerent, atque recordarentur eas ſordes abſtergere, quas in facie ſua deprehenderent, ita ut nihil in illis relinqueretur divina majeſtate indignum. Sanctus hic Pontifex ait ſpecula illa fuiſſe divinorum præceptorum figuram, in quibus animæ ſanctæ ſeſe indeſinenter conſiderare debent, ut eos detegant defectus, qui ſenſim in actiones ſuas poſſent obrepere. *Moralis Chriſtiana in Pater, lib. 6. ſect. 2. art. 7.*

Chriſtianus totam legem adimplere debet.

Liquet, Chriſtianam ſanctitatem pendere a totius legis obſervantia, nobiſque cum Salvatore dicendum: *decet nos implere omnem juſtitiam*, hoc eſt totam legem, a qua omnis noſtra pendet juſtitia. Ita Dei legem ſuam irrogantis conſilium fuit hominem prorſus ſpiritualem, ac perfectum efficiendi, ac ſi dici poteſt, ſanctitati ſuæ corpus tribuendi, quod tot partes haberet, quot leges præſcripſit. Ideoque quemadmodum corpus monſtruoſum eſſet, ſi aliqua illi membra deeſſent; Chriſtianus quoque talis fieret, vellet unam tantum legem infringere, quamvis cæteras adimpleret; nulla quippe lex eſt, quæ non ſit pars, & quodammodo membrum corporis ſanctitatis ſuæ. Sicuti unus ſufficit defectus, ut cuicumque perfectio adimatur ſua; ita opus eſt, omnia concurrere ad eamdem illi tribuendam juxta axioma tritum, & ab omnibus mortalibus acceptum. *Sarazin tomo 1. Adventus: Sermone de Jeſu Chriſto Legislatore.*

Nulla eſſe poteſt excuſatio Dei mãdata infringentibus.

Incredibilis in peccatore cæcitatis effectus eſt rationes conquirere, quas ſuæ erga Dei legem inobedientiæ prætexat; ſi illam infringit, neceſſario nocens eſt. Hic Deus iſte imperans, ille homo eſt, qui obedire & poteſt, & debet; rebellio excuſari non poteſt. Verum quis crederet, a peccatore nonnunquam ipſum Dei prætexi mandatum, tanquam legitimam illius infringendi cauſam? Lex, inquit ille, nimis auſtera eſt, nimis exigit multa; paulo major libertas obedientiæ meæ faveret, & libentius exequerer mandatum, quod minorem mihi vis inferendæ neceſſitatem imponeret. Non deeſt in hac arguendi ratione contradictio, quæ miram indigitat perverſitatem. Peccator innuit ſe minus nocentem futurum, ſi eſſet liberior, ac facilius ſe a ſcelere temperaturum, niſi in illud ruere vetitum eſſet. Id illi cogitandum eſſet, non poſſe Deum malum aliquod probare, Deumque ſcelus eſſe probaturum, niſi illud lege ipſius interdiceretur. *Liber, qui inſcribitur, animadverſiones in quadam religionis, Ethiceque argumenta.*

Pauci Dei mandata obſervant.

Dei mandata ubinam gentium modo obſervantur, & a quibus? Præcipua quædam, maximique momenti excutiamus. Nunquid in magna hujus mundi luce intemerandæ pudoris, & chriſtianæ honeſtatis regulæ ſervantur? Quænam in cogitationibus innocentia? Quænam in ſenſibus puritas? Quænam in verbis modeſtia? Quænam in factis verecundia? Ubinam ſpecioſiſſimam virtutem hanc inveniemus? In plebe? Sed ibi vitium paſſim imperioſius dominatur, ubi lucri ſpes invenitur. Utilitas de rebus omnibus refert triumphum, & ubi ſemel ſuaſerit crimen aliquod, perpauca ſunt adeo conſtanter inita conſilia, quæ diu tentationi admodum periculoſæ reſiſtant. In principibus? Omnia ibi mollitiem perflant, tot ornamenta, tot pretioſa, ſed immodeſta indumenta, otium, crapula, alea, conventus, ſpectacula. In mediocri conditione? verum eſt diutius ibi ordinem, virtutemque perſeveraſſe, ſed paulatim contagio omnia corrupit. *P. Girouſt in Adventu tomo 1. Sermone de Conſuetudine.*

Quid ſit lex æterna.

Scire ſufficit, legem generatim eſſe noſtrarum actionum regulam, quæ pretium, meritumque tribuit illis, quæ ſibi conformes ſunt, quemadmodum eas, quæ ſunt difformes, condemnat: ſuppoſitaque hac notione, quæ nulli obnoxia eſt difficultati, lex æterna, ex D. Aug. lib. 1. de libero arbitrio ſuprema ratio eſt, per quam juſtum eſt omnia in ordine contineri; videlicet, Deus, qui quatenus ſuprema ratio eſt, jubet quidquid eſt in ordine, & vetat quidquid eſt ordini contrarium. Hic autem ordo, quem Deus rebus in omnibus conſtituit, & quem perturbari vetat, in rebus ipſis perſpectus lex naturalis appellari poteſt; ſed cum hic ordo nobis exploratus eſſe debeat, lex naturalis proprie in lumine intellectus conſiſtit; quo bonum a malo ſecernimus; & pro legis hujus mandato ſumendum eſt, quidquid ipſa naturaliter ratio nos docet. *Auctor Rec.*

Verum eſt, ubi juſtitia non amatur, mandatum non aliud præſtare, niſi quod affectus excitat, ac irritat concupiſcentiam, quæ veluti mortua erat, vel ſaltem ſemiſopita; quia non gignebat adeo violenta deſideria, & quia non adeo nitebatur in vetitum, dum adhuc integrum erat illi ſibimet ſatisfacere. Ad hæc cum amor, quo a nemine pendere cupimus, ægre ſe cogi ferat a lege, a qua ſubjicitur, jugum dumtaxat excutere quærit, atque e ſervitute emergere; quamobrem ſufficit aliquid eſſe vetitum, ut furenti illius deſiderio flagremus: ſed cum Spiritus ſanctus in corde charitatem effundit, efficit, ut amemus quidquid lege præcipitur, ut in illa oblectationem inveniamus, & gloriam noſtram in illius obedientia conſtituamus; & quin odio habeamus auctoritatem imperii, tanquam tyrannidem nobis incommodam, illam diligamus, & amplectamur, tanquam ſalutare monitum, quod ad utilitatem noſtram nobis tribuitur. *Idem.*

Lex, & præcepta amanda ſunt, ut bene ſerventur.

Animadvertit S. Aug. a Deo nonnunquam præcipi quædam nullius momenti, quædam vero, quæ in ſeipſis minime noxia videntur, prohiberi. Seu hoc pacto ſubigere voluerit humanam ſuperbiam, quæ natura ſua libertatem deperit, & quodvis jugum horret; ſeu ſignificare voluerit, licet ea res, in qua illi obtemperatur, levis videatur momenti, ac in oculis illius non con-

temnendam eſſe; liquet tamen, quantumvis indifferens eſſe poſſit id, quod præcipitur, vel prohibetur, peccatum oriri ex præcepto, quod violatur; neque aliam reddendam eſſe rationem, ut cogamur noſmet imperio ſubmittere, quam præceptum ipſum legitima poteſtate irrogatum. *Idem.*

Dei mandata non ſunt impoſſibilia.

Verum eſt difficilem eſſe ad cœleſte regnum acceſſum; viam, quæ illuc adducit, arctam eſſe, illud vi expugnandum eſſe, ac magnis conatibus victoriam eſſe referendam. Si naturæ ſenſus audiuntur, Dei leges graves, difficileſque ſunt, ac arduum eſt eo, in quo ſumus, ſtatu ſingulis diebus, horis, momentis reſiſtere mundo, carni, conſanguineis, amicis, ac tot aliis objectis, quæ nos alliciunt, & attrahunt: illud vero ſolatio nobis eſſe debet, noſtrumque animum inflammare, quod omnia poſſumus cum gratia Dei, quæ nunquam deerit nobis; gratia, quæ jugum illius mite, ac jucundum, & onus, quod nobis imponit, leve facit. Itaque cum præceptorum obſervantia indeclinabili lege ſit adultis omnibus impoſita, in corruptæ naturæ ſtatu eamdem ob cauſam opus eſt gratiam, & poteſtatem illa obſervandi omnibus tribui: alioquin verum eſſet dicere, præcepta, quæ Deus omnibus hominibus irrogat, hos ad impoſſibile obligare. Nos miſeros! cum quo Deo nobis res eſſet, qui a nobis exigeret impoſſibilia! Ille nimis bonus, & fidelis eſt, S. Paulus exclamat, ita ut a ſervis ſuis nihil expetere poſſit, quod eorum vires excedat; Dei lex non proficiſcitur ex tribunali iniquitatis, vel ex throno ſeveritatis; in praxi dulcis eſt, & ſi quid habet, quod paulo auſterius videatur, divinæ gratiæ unctione mulcetur. *Deſumptum ex P. Antonio de S. Martino a Porta in libro, cui titulus: Les Conduites de la Grace, parte tertia.*

Quo in ſenſu in uno legem violans, omniũ reus fiat.

Quicumque, S. Jacobus ait, legis partem perfregerit, totius legis perfractæ reus eſt; & ratio eſt, quia omnes partes legis æque a Deo ſunt. Ille, qui dixit: non occides, dixit quoque, non mœchaberis. Si igitur ab impudicitiis abſtinens corde foves ultionis ſenſus, quos tibi odium immittit, jam legis totius prævaricatores, ac tamquam talis pœna afficieris. *P. Aurelianenſis Sermone de Severitate Evangelica.*

Libertini, legem ſuis flagitiis accomodant.

Sæpe homines, ut ſua excuſent vitia, atque in erroribus ſuis convaleſcant, verbis legis falſam appingunt ſententiam; & quaſi veritas ſuprema falli, vel fallere poſſet, nihil prætermittitur, ut lex legi opponatur. Juſtus ſumma intentionis rectitudine ſtudet, ut res ipſas, quales vere ſunt, cognoſcat, vanitatem terrenarum rerum, ſpei fallaciam, ac promiſſionum mundi hujus verſutiam; & quemadmodum illam cum magna cordis ſimplicitate requirit, luminibus ejus abundat: *Qui quærit legem, replebitur ab ea.* Eccl. 32. Sed flagitioſus homo, qui illam ſuis cupiditatibus aptare ſtudet, inde lapſus dumtaxat, & ſcandali arripit occaſionem: *Qui inſidioſe agit, ſcandalizabitur in ea.* Hic nihilominus mundi character eſt, velle omnia ad ſuum ſenſum redigere, ſenſorio examine omnes religionis veritates diſcutere, vel ſæpe etiam earum ſtudium negligere, cum interim ſexcentis in rebus non deſit mira dexteritas, atque prudentia. *Ex morali dictionario, Sermone ſecundo de Bacchanalibus.*

Deus eſt legis Auctor, & id nos cogit, ut eam ſedulo cuſtodiamus.

Ut perfecte divina lex adimpleatur, perſuaſum eſſe debet, Deum eſſe auctorem illius. Cognovi, Domine, re ius inquit Propheta, te ab æterno conſtituiſſe teſtimonia ſanctæ, & irrevocabilis voluntatis tuæ, quam in articulis legis hominibus declaraſti: *Initio cognovi de teſtimoniis tuis, quia in æternum fundaſti ea.* Pſalm. 118. Cum enim magnum hoc religionis principium nobis eſt perſuaſum, influit, ut ita dicam, in totum vitæ noſtræ corpus obſequentiſſimam diligentiam, qua Dei legem obſervemus, quæcumque ſeſe nobis offerat occaſio. Homines ab hac lege amputant, quod ipſis lubet; eam pro libidine, & juxta affectum, remque ſuam interpretantur; efficiunt, ut lex iſta inflexibilis, S. Auguſtinus inquit, ſecundum ſinuoſas incompoſitarum voluptatum ambages flectatur: ſed lex tua, Domine, ſemper recta manet, quantumvis illam inflectere, & ſecundum corrupta ſtudia noſtra illam torquere adnitamur. Supremus judex, qui ſolus eſt legis interpres, nos per eamdem legem judicabit, atque damnabit: tunc evaneſcent omnia legis lenimenta, injuſtæ omnes legis diſpenſationes, omnes falſi prætextus, quibus utimur, ut prævaricationibus noſtris colorem aliquem allinamus; & peccatores omnium primi agnoſcent æquitatem legis hujus, quæ illos damnabit: *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum.* Pſ. 118. *Ex ſpecimine Sermonum pro Adventu.*

Nobiles, ac divites a mandatis Dei obſervandis non diſpenſantur.

Nobilitas, & opes nubiles, diviteſque a temporis hujus ærumnis tuentur; verum illoſne ab evangelicis legibus eximunt? Nunquid qui præ cæteris opibus diffluit, jure poteſt minorem habere pietatem, ac religionem? Profecto morum licentia, cordis, animique procacitas, vita adeo parum religioſa plurimorum, qui ſæculi felices vocantur; hæc omnia nonne locum præbent interrogandi, utrum nobiles, & locuplentes aliquo fruantur privilegio, quo a chriſtianæ legis ſeveritate diſpenſentur; & utrum conditionum inæqualitas in mundo aliquam ſupponat varietatem præceptorum Dei erga illos, qui in eadem vivunt religione? At qui in prima Chriſtianiſmi rudimenta non ignorat, ambigerene poteſt, utrum leges hæ obligent univerſos? Unum eſt evangelium, nonniſi una eſſe poteſt morum diſciplina. Jeſu Chriſti præcepta ſunt immutabilia; nulla illis conditio ſubjecta non eſt, nemo eſt ab illis immunis. Diverſæ in cœlo ſunt manſiones, verum eſt, ſed una tantum via eſt, quæ illuc adducit. Princeps, & ſubditus, dives, & pauper nonniſi eamdem morum regulam habere poſſunt, ſi fidem habent eamdem. Nulla diſpenſatio, nulla exemptio, eadem mandata, præcepta eadem, eadem conſilia. Si quod lenimentum eſt, ſi qua in hac ſtatuum varietate interpretatio eſt, hæc in divitum gratiam non eſt. Salus majoribus ſumptibus comparanda eſt a viris principibus, quam ab illis, qui obſcuram, moleſtamque vitam trahunt. Ubi plures ſuperandi ſunt obices, ibi major ſibimet vis inferenda eſt. Opes latiorem non efficiunt viam, quæ ducit in cœlum, ſed impeditiorem. Graviſſimæ difficultates, quibus homo dives ſalutem operatur ſuam, nonniſi ex facilitate in tanta rerum copia pereundi proficiſcuntur. *P. Croiſet 2. tomo conſiderationum moralium.*

PRÆDESTINATIO.

REPROBATIO, EXIGUUS ELECTORUM NUMERUS &c.

MONITUM.

Quamvis prædeſtinatio, & exiguus electorum numerus duo ſint argumenta, quæ ſeorſim pertractari poſſunt, utrumque tamen ſimul conjungemus propter nexum, qui inter utrumque invenitur, quoniam alterum in altero continetur, & ab illo ſupponitur. Cæterum cum prædeſtinatio ſit oppoſita reprobationi, quæ ambæ in Bibliis memorantur, cumque de fide ſit non deeſſe prædeſtinatos ſimul, & reprobatos, hæc afferemus, quæcumque hujus argumenti colligere nobis licuit.

Fateor equidem de concionatorum officiis circa hoc argumentum doctorum variare ſententias; videlicet, utrum opera pretium ſit profunda hæc prædeſtinationis, & reprobationis pertractare myſteria, an utrum prætereunda ſint tamquam argumenta, quæ hominum mentes magis perturbare poſſunt, quam illos ædificare, & erudire. Veteres concionatores in eam abiere ſententiam, quaſi præſtet de hac re verba non facere, niſi ad admonendos auditores, ne mentem ſuam impediant quæſtionibus, quæ ad praxin nihilum proſunt, & quæ efficere poſſunt, ut infirmos animos, tetriſque idgenus cogitationibus præoccupatos in deſperationem inducant, vel ut in effuſiorem licentiam impellant eos, qui in eamdem ſtudiis ſuis, & inſita aliqua diſpoſitione feruntur.

Ceſſi tamen hodiernæ conſuetudini, atque experientiæ, quæ oſtendit argumentum hoc cum fructu pertractari poſſe, dummodo populis nequaquam prædicentur ſententiæ quorumdam, licet inſignium Theologorum, & orthodoxorum, quorum tamen opinio in ſcholis tantum poteſt pertractari; hoc eſt, Deum ab æterno elegiſſe, & prædeſtinaſſe certum, determinatumque numerum pro gloria, independenter a præviſione meritorum, quin aliis eamdem gratiam